Diss. Berlin 1932.

W. Hartke

DE SAECULI QUARTI EXEUNTIS HISTORIARUM SCRIPTORIBUS QUAESTIONES

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WERNER HARTKE
HASSO-NASSOVIENSIS

DIES RIGOROSI: 23. VII. 1931
DIES PROMOTIONIS: 9. V. 1932

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI MCMXXXII

AD ORDINEM RETTULERUNT

PROF. DR. E. NORDEN
PROF. DR. L. DEUBNER

EDUARDO NORDEN

S.

PRAEFATIO

Postquam inter procellas saeculi tertii artes liberales miserabili squalore obrutae sunt, temporibus saeculi quarti litterae et doctrinae Romanorum reviruerunt. neque mirum erat, quod omnes, cum Diocletianus imperium denuo composuisset, veterem Romanorum magnitudinem et gloriam recordabantur. immo multum intererat novis illis institutis, quibus imperium firmabatur, aliquantum auctoritatis attribuere, cum illustrissimis antiquitatis exemplis conectebantur.[1]) sed Constantinus Magnus Roma digressus anno 330 Constantinopolim novum orbis terrarum caput condidit. id quibus de causis animum induxerit, investigare non meum est. utique imperator ille orienti magis favebat, et imagines ipsas Constantini quibus nummi signabantur non imperatoris Romanorum cuiusvis, sed Alexandri Magni gestum habere nuper didici ex commentatione Ricardi Delbrueck (Der spätantike Kaiserornat, Antike 8 [1932] p. 16). tamen hac ex re eum quoque antiquitatis speciem quandam secutum esse apparet.

Sed Romanorum nobilitas aegerrime tulit, quod urbs aeterna principe loco deiecta erat[2]), et quasi splendorem Romae denuo illustrare vellent, ad historiae Latinae cognitionem operam et studium converterunt. libri historicorum, qui per saecula servati erant, denuo edebantur, qua in re cum alios tum Nicomachos versatos esse scimus. id studium maxime incensum est, cum Iulianus ille non modo deos vetustos, quos Constantinus exauctoraverat, restituisset, sed etiam Alamannis per Rheni ripas, Persis media in Mesopotamia fusis fugatisque optimos imperii principes aequare videretur. sed quae ipso saeculo quarto apud Latinos in lucem prodierunt opera similiora sunt chronicis Medii Aevi quam libris Sallusti et Taciti. cum multa illa Livi aliorumque volumina perlegere plerisque fastidio esset, cum delicias Iuvenalis et Marii Maximi mallent[3]), rerum Romanarum breviaria conscribere satis habebant, ut facilius quisque ab

1) Cuius rei vestigia multis locis in aperto sunt, velut in fonte quem Lactantius in libro de mortibus persecutorum adhibuit, cfr. K. Roller, Die Kaisergeschichte in Laktanz d. m. p., Gießen 1927, p. 32. Cognoscimus id etiam ex iis quae dicit e. g. Eusebius h. eccl. X 8,12: Λικίννιος τοὺς παλαιοὺς Ῥωμαίων εὖ καὶ σοφῶς κειμένους νόμους περιγράψαι τολμήσας βαρβάρους τινὰς καὶ ἀνημέρους ἀντεισῆγεν.

2) Cfr. Amm. M. XXI 10, 8 (232, 23 Clark) ∼ 12, 25 (239, 23) (Iulianus) *memoriam Constantini ut novatoris turbatorisque priscarum legum et moris antiquitus recepti vexavit* et q. s., quae O. Seeck, Herm. 41 (1906), p. 512. 533 ex annalibus Nicomachi principis nobilium Romanorum sumpta esse censet.

3) Amm. M. XXVIII 4, 14 (469, 3).

urbe condita historiam Romanorum percurreret. ita Latini quidem inter miserrimum illud saeculum tertium omnem quam a Graecis acceperant humanitatem abiecisse videntur, neque ullum fere eo tempore Latinum invenimus rerum scriptorem praeter Marium Maximum humilem virum. contra apud Graecos ipso saeculo tertio complures rerum scriptores exstitisse scimus, quos secutus Ammianus *ut . . Graecus* (XXXI fin.) saeculo quarto illustres illos libros XXXI scripsit, sed longum opus ei crimini dabatur.[1]

Sed non modo historiae Romanae studium renovatum est, verum etiam imperatores rem publicam moderantes secuti sunt quasi imaginem antiquitatis, quam ex historiarum libris sibi comparaverant.[2] Constantius filius Constantini Magni anno 357 Romam revisere cupivit et triumphans urbem intravit, ubi Augustum monumento erecto imitabatur.[3] et cum anno 346 vel 359 ad bellum contra Persas proficisceretur, Anonymus quidam ei Itinerarium Alexandri et Traiani, quibus pro exemplis uteretur, conscripsit.[4] post eum Iulianum antiquos coluisse inter omnes constat. et Valens cum bellum contra Persas inire animum induxisset, iterum, quasi antiquorum vestigia requireret, bella Persica a Rufio Festo describi voluit. Theolosius quoque, quamquam incitante Ambrosio in gentiles, ut qui imprimis antiquitatis studiosi essent, severius interdum egit, tamen urbem Romam anno 389 adiit[5] et diu gentilium factioni aperte favit.[6]

Itaque non forte accidisse putaverim, quod primum imperatore Constantio anno 360 breviarium historias Aurelii Victoris continens editum est. secuti sunt aetate Valentis anno 369/370[7] Eutropii et anno 371 Festi libelli. post annum 372 fere Scriptor Historiae Augustae opus suum confecit.[7] Nicomachus Flavianus ille quasi caput factionis gentilium anno 382/383 Theodosio annales misit. sub exitum Theodosii circa annum 391 Ammianus egregios illos a fine Taciti libros edidit et postrema paulo post mortem Theodosii anno 395 fere Epitoma quae dicitur Victoris con-

---

1) Amm. M. XV 1, 1 (38, 3) *residua . . pro virium captu limatius absolvemus nihil obtrectatores longi ut putant operis formidantes. tunc enim laudanda est brevitas, cum moras rumpens intempestivas nihil subtrahit cognitioni gestorum.* cfr. W. Ensslin, Zur Geschichtsschreibung u. Weltanschauung des A. M., Klio Beih. 16 (1923), p. 15.

2) Cfr. SHA XVIII Al. Sev. 16, 3 (263, 17 Hohl) *omnes litteratos et maxime eos qui historiam norant requirens* (Severus), *quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent.*

3) Amm. M. XVI 10, 17; XVII 4, 12; cfr. R. Laqueur in: Probleme der Spätantike, Stuttgart 1930, p. 18.

4) Cfr. It. Alex. II *tibique* (Constantio) *in Persas hereditarium munus est.*

5) Cfr. e. g. quae Themistius Theodosium monet de Augusto Traiano Hadriano Antoninis locutus p. 262, 3 οὐδὲν οὗτοι καινουργοῦντες οὐδὲ εἰσάγοντες πρᾶγμα ἄηθες εἰς τὴν πολιτείαν ἀλλὰ ζηλοῦντες τοὺς πάλαι 'Ρωμαίους ἐφ' ὧν Σκηπίωνες καὶ Βάρωνες καὶ Κάτωνες φιλοσοφοῦντες ἐπολιτεύοντο.

6) Cfr. O. Seeck, Gesch. des Unterganges d. antiken Welt V, Berlin 1913, p. 217 sqq.

7) Numeros hic pro certis proferre liceat, quos partim infra firmare temptabo.

scripta est. hi omnes ut deos vetustos venerabantur, ita Latina lingua utebantur. sed etiam Christiani his temporibus historiae Romanae operam dare coeperunt. nam Hieronymus, cum anno fere 380 Constantinopoli Eusebii chronica Latine verteret, multa de rebus Romanis adiecit. et Orosius anno circiter 417 illos historiarum adversos paganos libros iussu Augustini scripsit.[1])

Quae cum ita sint, quaestiones duae oriuntur, altera quo sermonis genere et qua grammatica scriptores usi sint. qui cum maxima industria libros maiorum legerent, undique figurarum copiam sibi comparaverant. quibuscum sermonis cottidiani usum ita commiscebant, ut cognitio linguae et grammaticae difficillima sit. altera quaestio haec est, quibus quisque scriptor fontibus usus sit. qua in re investiganda cum difficultate rei tum egestate editionum saepius impedimur.[2])

In mea cuius partem iam propono commentatione orsus sum a quibusdam sermonis Ammianei proprietatibus, quibus quantopere genus dicendi Ammiani clausularum formandarum gratia variatum esset, indicaretur. quam rem investigando[3]) cum de ratione qua clausulas inquirere liceat, et de collocatione verborum, quam Ammianus adhibuit, pauca inveni, tum de usu formarum perfecti et plusquamperfecti diligentius quaestionem habendam esse vidi. non enim licet investigare solas formas perfecti in *-ere* et *-erunt* exeuntes, sicuti huc usque solebant viri docti, sed omnes omnium formarum perfecti et plusquamperfecti diversitates una tractandae comparandaeque sunt.[4])

---

1) Cfr. etiam Max Vogelstein, Kaiseridee-Romidee, Breslau 1930, p. 97 sq.

2) Deest hodie editio Rufi Festi.

3) Maxime me adiuvit apographon indicis Ammianei, quem Petschenigius confecit, paene omnes Ammiani vocabulorum locos per capitum numeros indicantis. id mihi benigne tradidit Carolus U. Clark, cum ipse — quod graviter dolendum est — tertium quem desideramus editionis Ammianeae tomum perficere non posset. ego multum iam hac in re laboravi.

4) Haraldus Hagendahl (Die Perfektformen auf -ere und -erunt, Skrift. utg. af K. Humanistika Vetenskap-Samf. i Uppsala 22, 3 1923) usum Ammiani per libros complures investigavit. sed ille cum formarum *-ere* et *-erunt* quaestione contentus esset, plus profecisset, si Ammianum non nisi figuras aut *-avere* aut *-arunt* admisisse scivisset. quinque tantum locis occurrit *-averunt.* Sed antea de ratione qua cursum et clausulas signavi haec dico: ×́ syllabam cum accentu, × syllabam sine accentu significat. praeterea eam cuiusque vocabuli syllabam, a qua numerus vel cursus ordiatur, accentu notabo, velut *ésse videatur*. iam locos Ammiani enumerabo:

XVI 12, 3 (91, 14) *Caésari mandaverunt* ×́ × ×, × × ×́ ×, *ut* . . *abscederet* . .; leges quas secutus est Ammianus clausularum statuit A. Harmon, The clausula in Ammianus Marcellinus (Transactions of the Connecticut Academy of Arts and Sciences), New Haven 1910.

XVI 12, 15 (93, 16) *pácem impetraverunt* ×́ ×, × × × ×́ × *suppliciter obsecrantes. -arunt* BG cursu pravo.

XXI 12, 24 (239, 20) *querellae plebis excitari sólitae cessaverunt.* ×́ × ×, × × ×́ ×

XXII 3, 2 (253, 16) *causas vehementius aequo bonóque spectaverunt* ×́ × ×, × × ×́ ×, *praeter paucas ubi* . .; *-que* duas syllabas interdum praebere certo demonstravit Austinus Harmon l. c. p. 229.

Quae cum per omnes Ammiani libros inquirerem, quasdam sermonis Ammianei diversitates vestigia quaedam fontium diversorum praebere repperi. et cum ut haec firmarentur, quantum Ammianus ex Eutropii breviario prompsisset, diligentius perquirerem[1]), denuo tractanda esse breviaria illa saeculi quarti exeuntis cognovi. hanc ipsam de saeculi quarti exeuntis historiarum scriptoribus commentationem proferam. incipiam Quintiliani nisus loco ab usu formarum perfecti et plusquamperfecti apud scriptores huius aevi. simul quam diligentissime percontatus non modo res enarratas, sed etiam sermonis differentias, cum de aliis rebus, tum de fontium usu et de ratione qua breviaria illa confecta sint, certi aliquid reperire conabor.

XXXI 7, 10 (574, 1) *tumulosos locos adpétere temptaverunt* ×́ × ×, × × ×́ ×, *quo exinde per proclive . .*

sed his locis omnibus haec forma cursu poscitur. clausulam enim locis p. 93, 16 et 253, 16 et 574, 1 exstare etiam eo firmatur, quod vocabulum insequens a consonante incipit, cum in formis vel *-ere* vel *-runt* adhibendis Ammianus ubique id spectaverit, ne duo consonantes concurrerent neve hiatus exstaret. — Quae cum ita essent, in commentatione mea semper omnes huiusmodi formas tractavi.

1) Pauca apud viros doctos hac de re inveniuntur: cfr. O. Seeck PW I 1850, 13: Amm. XV 5, 18 (51, 9) = Eutr. IX 26 (166, 9 Droysen); sed hic mihi dubium videtur esse, cfr. R. Helm, Rh.Mus. 76 (1927), p. 267. — Amm. XIV 11, 10 (32, 29) = Eutr. IX 24 (164, 21); — cfr. M. Büdinger, Ammianus Marc. und die Eigenart seines Geschichtswerkes (Denkschr. d. Wien. Akad.), Wien 1896, p. 6 adn. 4: Amm. XXXI 16, 9 (600, 11) = Eutr. X 18, 3 (182, 9), sed cfr. R. Helm, Rh.Mus. 76 (1927), p. 305 sq., vide etiam W. Klein, Studien zu Amm. Marc., Klio Beih. 13 (1914), p. 8 adn. 1 — Pridem Valesius nonnullis cum locis Ammiani Eutropium comparaverat: Amm. XXV 4, 15 (369, 16) = Eutr. X 16, 3 (181, 3); Amm. XXV 5, 4 (372, 19 sq.) ∼ Eutr. X 17, 1 (181, 8), cfr. W. Ensslin, Klio Beih. 16 (1923), p. 31; Amm. XXV 7, 13 (378, 11) *ignobilis* = Eutr. X 17, 1 (181, 10); Amm. XXV 9, 8 (383, 19) *dum extimiscit aemulum potestatis* = Eutr. X 17, 3 (181, 18); Amm. XXV 9, 9 (383, 24) = Eutr. X 17, 2 (181, 11); Amm. 9, 11 (384, 2 sqq.) = Eutr. X 17, 2 (181, 12); vide Amm. Marc. ed. Wagner-Erfurdt tom. III, Leipz. 1808, p. 101, 109, 115, 120. — Sed non modo his paucis locis Ammianus Eutropio usus est, sed omnia quae apud Eutropium inde a X 16, 2 (180, 12) usque ad 18, 3 (182, 8) exstant, ab Ammiano XVI 5, 5 — 10, 13, 14 et per librum XXV inde a 4, 15 passim usque ad finem libri adhibentur. haec etiam Eduardus Norden cognovit, Decumates Agri (ex plagulis).

I. DE USU FORMARUM PERFECTI ET PLUSQUAMPERFECTI EXTENSARUM ET CORREPTARUM

Cum prioribus temporibus scriptores Latini formas perfecti et plusquamperfecti longas usurpare solerent, posteriore aetate magis magisque figuras correptas viguisse notum est. postremo formis extensis omnino abstinebant, et ad Romanenses linguas correptae formae solae pervenerunt: *amasti amastis amarunt* = fr. aimas aimâtes aimèrent. etiam antiqui id animadverterunt, cuius rei documentum Quintiliani ille locus[1]) in libris grammaticis[2]) affertur, quo formae *audivisse scivisse conservavisse,* quippe quae non sit *trita via,* vituperantur. sed minus recte Ernoutus[3]) formas extensas temporibus Caesarum omnino vitatas esse allato loco Quintiliani dixit. immo scriptores saeculi quarti certa et propria ratione adhibuisse vel vitasse huiusmodi formas videntur.[4])

1. APUD CLAUDIANUM

Exstat Theodori Birt commentatio[5]), qua cum Vergili tum Claudiani sermonem usumque formarum perfecti correptarum breviter perstrinxit statuitque in Claudiani carminibus perfecta per *s* litteram formata semper correpta esse praeter unum locum Rapt. Pros. III 79 *Tartareas furias debellavisse bipenni.*[6]) sequitur Claudianus Vergilium, apud quem ubique formae correptae inveniuntur praeter locum Aen. II 433 *Iliaci cineres . . . /testor, in occasu vestro nec tela nec ullas / vitavisse vices, . . .*[7]) item secundum usum Vergili praefert formas *flagraverit laxaverat,* contra Vergili consuetudinem verbi *noscere* figuras nusquam corripit. quae cum hac lege non congruunt, aut in spuriis aut in prioribus Claudiani carminibus inveniuntur.

1) Inst. or. I 6, 17—21, vid. p. 14 adn. 2.

2) Lindsay-Nohl p. 582, Kühner I, p. 776 sqq., Neue-Wagener III, p. 478 sqq., Leumann-Hofmann p. 335 sq.

3) Historische Formenlehre d. Lateinischen, Heidelberg 1920, p. 166.

4) De Ausonio breviter Albert Delachaux, La latinité d'Ausone, Neuchatel 1909, p. 94; impr. formas coniugationis primae exeuntes cum in *-averam -avero -averim* tum in *-avissem -avisse* fere omnibus locis contraxit. semper scripsit *-asti.*

5) Verbalformen vom Perfektstamm bei Claudian, ALL. 4 (1887), p. 589.

6) Et pergit Theodorus Birt: ,,Denn wenn wir Ruf. I 22 (III Gesner), Stil. II 65 (XXI G.), de IIIo cons. Hon. 103 (XXVII G.), de IVo cons. Hon. 376 u. 557 (VIII G.) ein *crevisse* (ter) *flevisse* und *sprevisset,* Stil. II 18 *ignovisse* lesen, so verwehrte hier der bessere Usus die Synkope."

7) Cfr. J. Köne, Über die Sprache der römischen Epiker, Münster 1840, p. 182: ,,So setzt Virgilius *aequasset certasset* . . . usw. und daneben nur einmal *vitavisse* l. c."

2. APUD VEGETIUM

Vegetius in Epitoma rei militaris infinitivi perfecti et coniunctivi plusquamperfecti tantum formas correptas admisit.[1]) Unum exemplum figurae extensae invenitur I 19 (p. 21, 11 Lang) *Quam rem antiquos milites factitavisse Vergilio*[2]) *ipso teste cognoscimus qui ait: Non secus ac patriis acer Romanus in armis / iniusto sub fasce viam cum carpit et hosti / ante exspectatum positis stat in agmine castris.* antea de tironibus ad portandum pondus exercendis disseruit, quippe quibus in arduis expeditionibus necessitas inmineret annonam pariter et arma portandi. et pergit: *nec hoc* scil. exercitationes portandi *credatur esse difficile, si usus accesserit: nihil enim est quod non adsidua meditatio facillimum reddat.* quibus adiuncta illa Vergiliana non apta esse apparet, praesertim cum alia huiusmodi ex Vergilio inepte interdum inserta esse Gemollius ostenderit.[3]) etsi non omnibus locis recte interpolationes agnovisse et Gemollium et Langium dixerim, tamen loco proposito plura accedunt, quae interpolationem confirment. *factitare* verbum nonnisi hoc loco a Vegetio usurpatur. vocabulum *testis* bis tantum occurrit: loco proposito et in eadem iunctura *ipso Homero teste* in lib. I 5, qui locus et ipse ut inepte insertus a Langio seclusus est. egit enim Vegetius de statura tironum eligendorum: *Si ergo necessitas exigit non tam staturae rationem convenit habere quam virium.* additur *Et ipso Homero* (E 800) *teste non fallitur, qui Tydeum minorem quidem corpore sed fortiorem armis fuisse significat.* adnotavit rectissime Langius in apparatu critico: *non fallitur scil. Vegetius,* glossema igitur ex margine inrepsisse. quae cum ita sint, verba *ipso teste* duobus quos attuli locis ab interpolatore videntur scripta esse. his argumentis additur figura perfecti non usitata, ut vix dubitari possit, quin Vergiliana illa ab interpolatore adiecta sint. ceterum de interpolationibus denuo agendum est adhibitis clausularum legibus, quas Langius nondum noverit, cum primus eas breviter tractaverit Meyerus anno 1893.[4]) nam etiam interpolatorem quibusdam clausulis usum esse manifestum est.

Postremo cum de ceteris huiusmodi formis, quas et longas et correptas scriptor adhibuerit, disserere in animo non habeam, perfectum *-ere* syllabis terminatum, eodem modo quo Hagendahlius[5]) id adhibuisse pluri-

1) Locis novem p. 11, 2 *tractasse*; 14, 17 *praeparasset*; 19, 15 *militasse;* 23, 16 *postulasset;* 33, 16 *negassem;* 51, 9 *fugassent;* 67, 5 *rebellasset* (*-aret* Π); 73, 10 *iudicasset;* 150, 17 *postulasset;* saepius *nosse* — numeri paginarum sunt editionis Langianae (^{2}1885).

2) Vergiliana ex Georg. III 346—348.

3) Hermes 6 (1872), p. 117, sed Teuffel-Skutsch-Kroll, Gesch. d. röm. Literatur,[6] p. 315: „auch die von Lang getilgten Vergilzitate sind ganz im Geiste der Zeit", et E. Hohl, Hermes 55 (1920), p. 306 „Wie Vegetius gefällt sich auch die Historia Augusta in Citaten aus Vergil, diesem Brevier der letzten Römer wie Macrobius zeigt."

4) Wilhelm Meyer, Ges. Abh. zur mittellatein. Rythmik II, p. 261.

5) Harald Hagendahl, Die Perfektformen auf *-ere* und *-erunt*, Skrift. utg. af K. Hum. Vetenskap Samfundet i Uppsala 22, 3 1923.

mos scriptores demonstravit, a Vegetio usurpatum esse dico. inter duodecim exempla haec terminatio decies in ipsa clausula a fine sententiae remota proximo loco occurrit.

I 3 (7,15) *ubi nomen dedére militiae* ⊥ ⏑, ⊥ ⏑⏑ –

I 8 (12,22) *eventus tantum scripsére bellorum* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ ⏑
(12,25) *in libros rettulére conplura* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ ⏑, *quae táctica vocant* – ⏑ ⏑, ⏑ – (clausula rhythmica ×́ × × ×́ ×; in nonnullis codicibus AMGQLP desunt verba *quae — vocant*)

I 11 (15,9) *hoc genere exercuére tirones* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ –

12 (16,10) *Nam caesim pugnantes non solum facile vicere sed etiam derisére Romani* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ –

I 28 (29,11) *quae ipsos progenuére Romanos* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ –

III 10 (90,2) *et postea coluére Romani* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ –[1])

III 24 (116,6) *quae ut primo magnum intulére terrorem* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ ⏑ *ita postmodum fuére derisui* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ ⏑ ⊥

IV 9 (135,4) *abscisos crines viris suis obtulére pugnantibus* ⊥ ⏑, ⊥ ⊥ ⏑ ⊥

Restat unus locus

IV 2 (130,8) *sinuosis anfractibus iactis fundamentis clausere urbes crebrioresque turres in ipsis ángulis reddiderunt, propterea quia . . .*

sed hoc loco clausulam exstare negaverim. an sicuti I 27 (p. 28,11) *hoc enim verbo hoc exercítii genus nominant* ×́ × ×, × ×, ×́ × × etiam loco de quo agitur his vocabulis clausula continetur: *fundaméntis clausere urbem* ×́ ×, × × ×, ×́ ×[2])?

1) *Hanc* (scilicet artem bellicam) *quondam relictis doctrinis omnibus Lacedaemonii et postea coluere Romani:* varia lectio codd. AMGQL *consuluere;* vix recte.

2) Vegetii clausulas ex finibus capitum libri primi collegi. imprimis occurrit forma ⊥ ⏑ ⊥ ⊥ – *sémper ad caedem* (14×), porro ⊥ ⏑ ⊥ ⏑⏑ – *crédis invenias* (3×), ⊥ ⏑ ⊥ ⊥ ⏑ ⊥ *úsus adquiritur* (3×; inter ea semel ⊥ ⏑ ⊥ ⊥ – ⊥ *fundísque pelléndi sint* cap. 16), ⊥ ⏑ ⊥ ⊥ ⏑ – ⏑ *sagittários miscuisset* (3×), semel ⊥ ⏑ ⏑⏑ ⊥ – *exercitatióne didicissent;* semel ⊥ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⊥ *néc fugere nec sequi*, sed potius sine ullo respectu syllabarum brevium et longarum cursus solus adest *fúgere nec sequi* ×́ × ×, ×́, × ×; bis ⏑⏑ ⏑ ⊥ ⊥ ⏑ *númerus adscribi* II 1, *fácere coguntur* II 7 (nonnulla huiusmodi ex libro II congessi). loci omnes etiam secundum leges rhythmicas cursum praebent. syllaba longa quae ictu caret fere omnibus locis supra allatis viginti sex positione longa est exceptis quinque exemplis. accedunt huc septem loci, qui cum cursum praebeant, cum legibus clausularum ex syllabis longis brevibusque compositarum non congruunt:

I 17 *potúerit perveniri* ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏑ ×́ × ×, × × ×́ ×
21 *defúerit persequendi;* II 25 *fáciat ciuitatem*
II 20 *réddere rationem* – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ×́ × ×, × × ×́ ×
II 16 *agnosceréntur a suis* – ⏑ – ⏑ – ×́ ×, ×, ×́ ×

item Ammianus Marcellinus XVI 12, 19 (94, 11) *festinárunt ad suos*, XVII 12, 16 (127, 14) *perdidére quam suos.* manifestum est rationem rhythmicam primo adhibitam

3. APUD EUTROPIUM

Transeo ad Eutropi breviarium, qui ut est moris his temporibus semper scripsit *parasset*.[1]) ceteras formas non contraxit. nonnisi *nuncupaverunt mutaverit deleverit occupaverat* admisit. duobus sane locis occurrit *militarat* I 18 (22,4 Droysen) et *rebellarant* IV 8,1 (70,7). sed hic formae contractae ex coniectura ortae sunt, cum codices et hic et illic imperfectum praebeant. quod ad locum libri IV *mox septuaginta civitates Epiri quae rebellarant* (Schoonhovenius in ed. prima, *-abant* codices) *cepit, praedam militibus distribuit* pertinet, in huiusmodi rerum narrationibus Eutropium plerumque plusquamperfectum usurpasse concedendum est, velut VIII 10,2 (142,9) *ii bellum contra Parthos gesserunt, qui post victoriam Traiani tum primum rebellaverant.* quod Paeanius, qui anno fere 380 Eutropii breviarium in linguam Graecam transtulit, sic vertit 143,10 Droys.: πόλεμον τότε πρῶτον ἀντιπαραταξαμένοις μετὰ τὴν Τραϊανοῦ νίκην. Eutr. VIII 18,4 (146,27) *Pescennium Nigrum, qui in Aegypto et Syria rebellaverat, apud Cyzicum interfecit*; Paeanius: τυραννήσαντα κατὰ τὴν Αἴγυπτον, cfr. IX 9,1 (154,14). sed locum supra allatum Paeanius hoc modo transtulit: (71,7) Ἑβδομήκοντα δὲ τῶν Ἠπειρωτικῶν πόλεων ἀντιταττομένας ἔτι Ῥωμαίοις εἷλε πολιορκίᾳ. Legit igitur Paeanius *rebellabant.* porro ex loco libri IX 22,1 (162,25) *Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatae essent, Carausius in Britanniis rebellaret, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bellum inferret* etc. rebellandi vocabulum

---

esse in eis clausulis longis, qui septem syllabis formatae sunt, naturamque syllabarum neglectam esse, cum ictum aliqua syllaba habebat. restat unus locus, ubi sine ullo respectu correptae et productae syllabae formata est clausula:
II 19 *Munifices enim ab eo apellantur, quod haec múnera faciunt* – ⏑ ⏑ ⏑ – x́ × ×, x́ × ×. similem clausulam iam supra p. 7 notavi I 8 (12, 25) *quae táctica vocant.* quae etsi in codicibus nonnullis desunt, vix possunt desiderari: *De historicis ergo vel libris nobis antiqua consuetúdo repetenda est* ⊥́ ⏑ ⏑̀⏑ ⊥́ – x́ ×, × × x́ × *sed illi res gestas et eventus tantum scripsére bellorum* ⊥́ ⏑ ⊥̀ ⊥́ ⏑ x́ ×, × x́ × *Lacedaemonii quidem et Athenienses aliíque Graecorum* ⊥́ ⏑ ⊥̀ ⊥́ ⏑ x́ ×, × x́ × *in libros rettulére complura* ⊥́ ⏑ ⊥̀ ⊥́ ⏑ x́ ×, × x́ × *quae táctica vocant* x́ × ×, x́ × *sed nos disciplinam militarem populi Romani debémus inquirere* ⊥́ ⏑ ⊥̀ ⊥́ ⏑ ⊥̀ x́ ×, × x́ × ×. inter centum et viginti fere quae in fine omnium sententiarum totius libri primi inveniuntur clausulas cursum solum habent neque ad numeri praecepta conveniunt quadraginta, velut p. 7, 21 *accédat et ánimis,* p. 8, 8 *convéniat explorémus,* p. 8, 15 *éfficit bellatórem,* p. 9, 3 *dóleat praeterísse* etc.

1) De sermone Eutropii egit Josefus Šorn, Der Sprachgebrauch des Eutropius, Progr. Laibach 1889. formas correptas affert p. 17, sed non ita diligenter exempla collegit. omisit exempli gratia inter figuras perfecti in *-ere* exeuntes II 15 (36, 13). omisit praeterea hos locos: *servierat* II 25, 2 (44, 8); *petierant* II 15 (36, 14); *punierit* VII 21, 2 (132, 9) codd. *puniret: Romae tantae civilitatis in imperio fuit* (Titus), *ut nullum omnino puniret, convictos adversum sese coniurationis et dimiserit et in eadem familiaritate qua antea habuerit.* mutavit Hartelius in *punierit* ex iis quae sequuntur. tamen *puniret* retineri potest, cum huiusmodi inconcinnitates sermonis non modo Eutr., qua de re Šornius l. c. p. 26 nonnulla affert, sed etiam ceteri huius aevi scriptores admiserint. denique VI 20, 1 (106, 1), 21, 3 (106, 15) *petiit* (illo loco codd. deteriores Leydensis et Bertinianus habent *petivit*).

etiam *in rebellione esse* significare apparet. quo cum accedat quod Eutropius formas correptas *-arat* vitavisse videtur, Droysenus iure in textu posuit *rebellabant.* — Altero loco Droysenus in apparatu critico secundum Paeanii textum Eutropium *militarat* scripsisse opinatur: I 18 *Sed cum primo anno bene egissent* (decemviri), *secundo unus ex iis Appius Claudius Vergini cuiusdam, qui honestis iam stipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit. quam pater occidit, ne stuprum a decemviro sustineret, et regressus ad milites movit tumultum.* Paeanius sic vertit (23,4) Ἄππιος γὰρ Κλαύδιος εἷς ἐκ τῶν δέκα, Βεργινίου τινὸς θυγατέρα παρθένον, ὃς ἐν τῷ πολέμῳ κατὰ τὸ Ἄλγιδον ὄρος πρὸς Λατίνους ἐτύγχανεν ἀνδρειότατα μεμαχημένος, ἐβουλήθη διαφθεῖραι πρὸς βίαν. legit *militarat* Paeanius.[1]) quod in textu collocandum non est, cum *militabat* confirmetur et Livi narratione III 44,2 *Ap. Claudium virginis plebeiae stuprandae libido cepit. pater virginis L. Verginius honestum ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti domi militiaeque*[2]) et iis quae in ipso Eutropii textu sequuntur *regressus ad milites*, quibus Verginium eodem tempore, quo decemvir facinus improbum commisit, in bello fuisse significatur. denique figura correpta inusitata Eutropio est.[3]) habuit igitur textum depravatum iam ipse Paeanius.[4]) correpta plusquamperfecti forma praeterea varia lectio unius codicis est loco libri IV 10,3 (72,8) *neque quicquam magis vel Hasdrubal vel Famea vitabant, quam contra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicaret* (*dimicasset* GLO *-arat* D et duo codices Pauli), quo loco recte ab Hartelio correctum est *dimi-*

---

1) *Iam* loco Eutropi allato significat „soeben", sicuti IV 27 ,4 (82, 9) *Et cum iam finem bello positurus esset, successum est ei a C. Mario* („als er eben . . .").

2) Livium fontem fuisse contendit Wladimirus Pirogoff, De Eutropii breviarii a. u. c. indole ac fontibus, Berlin 1873, p. 60, vel potius Livi quandam epitomam: p. 30. cfr. Gustavus Ay, De Livii epitoma deperdita, Leipzig 1894, p. 65 et praeter alios E. Kornemann, Beitr. z. alt. Geschichte (Klio), Beih. 2 (1904), p. 88. textus epitomae Livianae cognosci potest ex libro de vir. ill. 21, 2 (38, 11 Pichlm.) . . . *unus ex his Appius Claudius Virginiam, Virginii centurionis filiam in Algido militantis adamavit. . . . . pater . . eam . . occidit; et corpus eius humeris gerens ad exercitum profugit et milites ad vindicandum facinus accendit.* cfr. H. A. Sanders, The lost Epitome of Livy (in Roman Historical Sources and Institutions), New York 1904, p. 167 (retinet *militarat*).

3) Non adhibuisse formam plusquamperf. correptam Eutropium neque recte hac de causa *militarat* esse propositum iam monuit C. Wagener, Phil. 44 (1885), p. 347.

4) Tamen cum Schulzio et Eussnero *militarat* ex Paeanio correxit R. Duncker, De Paeanio Eutropii interprete, Progr. Greiffenberg 1880. — Interdum Paeanium rectum servasse, cum decem tantum annis post Eutropium scripserit, constat. etiam loco libri VII 3, 1 (114, 14) *Interea Brutus et Cassius interfectores Caesaris ingens bellum moverunt. erant enim per Macedoniam et Orientem multi exercitus quos occupaverunt. profecti igitur contra eos . . Octavianus . . et . . Antonius* etc. plusquamperfectum *occupaverant* in exemplari suo habuisse videtur, cum hoc modo sententiam reddiderit: κινοῦσι πόλεμον, πολὺν περὶ τὴν Μακεδονίαν ἀθροίσαντες στρατόν. quamquam satis libere Paeanium Eutropii textum hoc loco transtulisse concedo, tamen quia vetustissimus omnium codex quem anno fere 770 Paulus Diaconus adhibuit et Vaticanus 1860 (D) cum Pauli codice cognatus et LO deteriores *occupaverant* praebent, hanc lectionem praefero; cfr. Phil. 44 (1885), p. 303.

caret. denique uno loco in codice Eutropiano Pauli Diaconi *pugnarunt* legebatur III 16 (60,1) *In Italia tamen male pugnatum est* (*pugnarunt* P). sed hic cum forma perfecti inusitata, quae contra consensum codicum ceterorum apud Paulum occurrit, tum alter locus falsam lectionem Pauli esse comprobat: IV 4, 3 (66, 16) *et Rhodiis qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerant multae urbes concessae sunt* (*concesserunt* P; *-ere* D; *concessae erant* LO deteriores), ubi in Pauli codice eodem modo perfectum passivi mutatum erat in *concesserunt,* quod codex D forma altera *concessere*[1]) praebet. praeterea pluralis personae tertiae subiecto non addito nusquam hoc modo usurpatur.

Restat ut de usu formarum in *-ere* exeuntium pauca addantur, quam figuram Eutropius quinquies usurpavit. uno loco tantum a fine sententiae remotam habet: VI 6, 2 (94, 15) *adversus eum ambo consules missi variam habuére fortunam* –́ ⏑ ⊥ –́ ⏑. praeterea exstant I 9, 1 (16, 1) *hinc consules coepere pro uno rege duo . .*; II 9, 3 (32, 1) *ingentibus proeliis eos confecere* (pars codicum *conficere*); II 15 (36, 13) *legati Alexandrini a Ptolemaeo missi Romam venere et a Romanis amicitiam quam petierant obtinuerunt*; II 16 (36, 15) *Picentes bellum commovere et ab insequentibus consulibus . . . victi sunt.* cum vero has ipsas formas perfecti in clausulis formandis apud scriptores huius aevi adhiberi, ita ut proximum a fine sententiae locum plerumque obtineant, constet (cfr. s. p. 6 adn. 5), ea re quod Eutropium hunc in modum plerasque non collocasse videmus, quam rationem in oratione numeris concludenda ille secutus sit cognosci potest. dubium enim non est, quin clausulas noverit.[2]) sic in finibus capitum librorum primi et decimi inter exempla fere quadraginta inveni novena formae –́ ⏑ ⊥ –́ ⏑ et –́ ⏑ ⊥ –́ ⏑ ⊥; variationes cum duobus brevibus pro longa syllaba duas; bis –́ ⏑ ⊥ –́ ⏑ – ⏑; quinquies –́ ⏑ – ⏑; bis hypodochmium – ⏑ – ⏑ –. novem exempla malam vel falsam velut heroicam clausulam praebent. tamen maiore in parte operis Eutropiani clausulae omnino neglectae sunt. quod ut cognoscatur, profero locum, quo qua ratione scriptor modo rhythmice modo sine clausulis scripserit demonstrem.

QUA RATIONE AC VIA CLAUSULAE INVESTIGANDAE SINT, DIGRESSIO

Sed antea breviter, quam rationem in clausulis investigandis secutus sim, explicabo. in animo non habeo tractare quae quisque eorum, qui hodie hac in re versantur, censet. qui quantopere profecerint, ne dicam non profecerint, eo cognosci posse videtur, quod nunc vix quicquam

1) Eadem figura pro *-erunt* in cod. D occurrit IX 19, 1 (162, 3), cfr. infra p. 16.

2) Cfr. F. di Capua, Il numerus nel breviario ab urbe condita di Eutropio, Boll. fil. class. 23 (1917), p. 17—18, quem clausulas nonnullis locis velut in prooemio recte agnosse video. idem Eutropium clausulas iis locis, quibus maiore quodam motu animi quaedam refert, adhibuisse contendit, transpositiones nonnullas verborum, quibus clausula efficiatur, collegit.

certi de clausulis dici potest. ego cum textus examinarem, paucas tantum clausularum formas legitimas esse inveni: –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀; –́ ⏑ –̀ –́ ⏑; –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ – ⏑ quaeque ex his solutis longis efficiuntur formas; – ⏒ – ⏑ –[1]). ditrochaeum –́ ⏑ – ⏑ clausulam esse, cum Ciceronis verbis firmetur, contendo, sed dubito, an formis quae ex hypodochmio et ditrochaeo solutis longis efficiuntur, clausulae legitimae non praebeantur. ceteros igitur pedes clausulas esse nego, velut –́ – –̀ –́ ⏑ et similia. haec etiam exemplis quae infra afferam confirmari mihi videntur. quo loco clausula posita sit, hoc iudico: minime omnes interspirationes habent clausulam. ubi quisque scriptor interspiraverit et distinxerit, certis legibus complecti non posse existimo[2]), cum et ex indole uniuscuiusque scriptoris, utrum cum longo an cum breviore spiritu loquatur, et ex natura linguae, qua ut diversa inter se plane segregentur per intermissionem postulatur, pendeat. nam cum quae natura linguae poscantur clausulae, facilius regulis quibusdam comprehendi possint[3]), indolem hominis non nisi usu et consuetudine quadam cum quoque scriptore cognoveris.[4]) et semper fluctuabimur aliquantum.[5]) similiter linguae francogallicae textum eundem ab alio Francogallo aliter distingui experiendo inveni. — utrum cola numeris conclusa sint an fortuitus sit rhythmus, ex toto sermonis genere, collocatione verborum, formarum usu[6]) ceterorumque commatum numeris iam apparebit. neque neglegenda sunt quae antiqui scriptores de numero tradiderunt.

---

1) De dochmii forma ⏑ – – ⏑ – ambigo. fortasse Firmicus quater eam adhibuit: V 4 (14, 11); VI 4 (16, 8); XIII 2 (32, 10); XVII 3 (41, 14); vid. IV 1 (10, 4). cfr. Ziegler, Praef. XXIII et infra App. IV p. 67,3.

2) Sed apud quosdam posterioris aevi scriptores unam legem invenimus, ut etiam commatia brevissima omnia numeris concludantur, Cyprianum dico e. g., sed contrarius est usus cum aliorum tum Tertulliani.

3) Cfr. exempli gratia K. Ziegler, praef. Firm. p. XV; H. D. Broadhead, Latin Prose Rhythm, Cambridge 1922, c. 1—4.

4) Perpauca hic numerando comparandoque profeceris. cfr. illas Arnimi de Platonis dialogis quaestiones. — ceterum quantum scio non inveniuntur loci, ubi quisquam scriptor clausulas ex alieno scripto sumpserit, nisi ad verbum exscripserit. id quod quae statui confirmat, nam indoles scriptoris alia aliam clausularum rationem gignit. per imitationem apud diversos scriptores pares paucis locis clausulas ortas esse sane concedo, cfr. E. Bickel, GGA 1918, Nr. 7. u. 8, p. 294.

5) Nonnulli qui hodie numerorum doctrinam perquirunt (e. g. Novotný), ut extremum commatis differret ab initio et medio, scriptores clausularum numerum nonnisi in fine admissum alibi vitasse censent. at haec diligentius iis inquirenda erant. ego ita rem se habere nego, immo scriptores collocationes quasdam verborum aliasque sermonis proprietates, quibus clausularum numerum efficere solerent, etiam iis locis, ubi distinctionem esse agnosci non potest, interdum temere adhibuisse inveni. — Minime licebat deerrare a ratione et via, quam Eduardus Norden instituit (Kunstprosa II, p. 914, cfr. etiam E. Bickel in: Gercke-Norden, Einl.², p. 612 sqq.). utique argumenta, quibus A.W.de Grootius (A Handbook of Antique Prose-Rhythm, Groningen, p. 34) Eduardum Norden refutare temptavit, falsa sunt.

6) Multi iam has res investigaverunt, vide quos congessit Fr. Novotný, Etat actuel des Etudes sur le Rhythme de la Prose Latine, Eos Suppl. V 1929, p. 75.

DE EUTROPI CLAUSULIS

Nunc Eutropi textum profero:

VIII 6 (138, 22 sqq.) *Defuncto Traiano Aelius Hadrianus creátus est princeps* –́ ⏑ –̀ –́ – *sine aliqua quidem voluntáte Traiani* –́ ⏑ –̀ –́ – *sed operam dánte Plotina* –́ ⏑ –̀ –́ – *Traiani uxore* † deest cl. *nam eum Traianus quamquam consobrináe suae filium* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏑̀ *vivus noluérat adoptare* ⏑́⏑ ⏑ –̀ –́ ⏑ *natus et ipse Italicáe in Hispania* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ (cum hiatu) *qui Traiani glóriae / invidens* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ (cum hiatu) *statim províncias tres reliquit* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ – ⏑ *quas Traiánus addiderat* –́ ⏑ –̀ ⏑́⏑ ⏑ *et de Assyria Mesopotamia Armenia revocávit exercitus* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ *ac finem imperii esse vóluit Euphraten* ⏑́⏑ ⏑ –̀ –́ – *idem de Dacia fácere conatum* ⏑́⏑ ⏑ –̀ –́ ⏑ *amici detérruerunt* –́ ⏑ – – *ne multi cives Romani bárbaris traderentur* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ – ⏑ *propterea quia Traianus victa Dacia ex toto órbe Romano* –́ ⏑ –̀ –́ – *infinitas eo copias hominum transtulerat ad agrós et urbes colendas* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ – – *Dacia enim diuturno bello Decebali viris fúerat exhausta* ⏑́⏑ ⏑ –̀ –́ ⏑

cap. 7 *Pacem tamen omni imperii sui témpore habuit* – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ † *semel tantum per praésidem dimicavit* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ – ⏑ *orbem Románum circumiit* –́ – –̀ ⏑́⏑ ⏑ † *multa áedificavit* – ⏑ ⏑ – ⏑ † *facundissimus Latíno sermone* ⏑́ – –̀ – ⏑ † *Graeco eruditíssimus fuit* – ⏑ – ⏑ ⏑ *non magnam clementiae glóriam habuit* – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ † *diligentissimus tamen circa aerarium et mílitum disciplinam* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ – ⏑ etc.

quid multa? in capite 6 clausulae optime observantur, sententiae ornatius et polite procedunt; in capite 7 sententiae breves, saepissime clausula prava, quam cruce postposita signavi, ita ut quae inveniuntur clausulae forte esse effectas censeamus. quas praeterea plurimis locis duas breves pro longa et longam pro brevi habere videmus.

4. APUD AURELIUM VICTOREM

Sed re vera animadversum ac notatum esse usum huiusmodi formarum a scriptoribus saeculi quarti exeuntis ex libello Aurelii Victoris cognosci potest. qui unus quantum video his temporibus[1]) non modo paene ubique figuram perfecti in *-ere* exeuntem, sed etiam quod magis miramur formam extensam infinitivi perfecti et plusquamperfecti *-avisse -avisset* adhibuit. praeterea etiam in ceteris temporibus formas correptas plerumque vitavit.

Cum figura *-ere* saepissime in legendo inveniatur, duobus tantum locis occurrit *-erunt*[2]):

c. 11, 9 (90, 13) *milites . . . auctores necis ad supplicium petere more suo seditiosius coeperunt.* cfr. Suet. Dom. 23, 1 *expostulatis ad poenam pertinacissime caedis auctoribus.*

1) Praeter Epitomae Victoris quae dicitur scriptorem, de quo vid. infra p. 14.
2) Cfr. Th. Opitz, Sallustius u. Aur. Victor, JclPh. 127 (1883), p. 218.

c. 25, 2 (104, 13) *Quod tamen etiam patres, dum periculosum existimant inermes armato resistere, approbaverunt.* cfr. Eutr. IX 1.
itidem duobus locis forma correpta *-asse* invenitur:

c. 14, 7 (93, 12) *Hinc orti rumores mali . . Antinoi flagravisse famoso ministerio neque alia de causa urbem conditam eius nomine aut locasse ephebo statuas.* (an variandi causa?)

c. 28, 8 (106, 25) *Eos ego ignorasse verum plane puto.* hac in sententia primam personam animadvertas, quo facilius factum esse putaverim, ut scriptor figuram quibus vixit temporibus usitatam adhiberet.[1]) ceteris locis omnibus sicut dixi extensam formam admisit.[2])

Quae cum ita sint, cur scriptor figuras quo vixit tempore usitatas non adhibuerit, quaerendum est. iam Theodorus Opitz[3]) imitando Sallustium cum alia tum id effectum esse dixit, ut Victor plerumque, scilicet sexagies septies per quinquaginta fere paginas editionis Teubnerianae, formam perfecti in *-ere* exeuntem usurparet. Sallustius enim tantum sexies figuram *-erunt* admisit per omnia quae nobis tradita sunt opera.[4]) eademque ratione explicatur, quod contra consuetudinem omnium ut videtur huius aevi scriptorum Aurelius Victor solus terminationem extensam *-avisset* vel *-avisse* usurpavit. nam cum apud eos qui sermonem Sallusti perscru-

1) Correpta forma etiam invenitur c. 4, 14 (83, 3) *Huius* (scil. Agrippinae) *anno sexto cum quattuordecim regnarit* (scil. Claudius) *octingentesimus urbis mire celebratus.* hanc lectionem praebet Bruxellensis, cum in Oxoniensi legatur *regnaret.* quod ego in textu poni malo, cum in cap. 33, 1 (108, 22) *Sub idem tempus Licinius Gallienus cum a Gallia Germanos strenue arceret, in Illyricum properans descendit* — eodem modo coniunctivus imperfecti pro plusquamperfecti positus sit. quo accedit, quod Victor semper scripsit *-averit:* p. 92, 7 *sacraverit;* 100, 5 *retentaverit* (*-avit* Brux. *temptaverit* Oxon.); 111, 15 *superaverit* etc., item p. 78, 17 *quaesiverat;* 80, 17 *tentaverat* etc., correptis horum temporum figuris omnino vitatis.

2) cap. 6, 1 (85, 20) *quasi luxuriae aut etiam crudelitati auxilio ventitavisset.* — 9, 7 (87, 28) *Capitolium, quod conflagravisse supra memoravimus.* — 10, 3 (88, 28) *neque minus sancte facilis in tuendis, qui forte in se coniuravissent.* — 14, 7 (93, 10) cfr. supra *flagravisse.* — 16, 4 (94, 27) *eius ductu Persae cum primum superavissent, ad extremum triumpho cessere, rege Vologeso.* — 16, 9 (95, 12) *. . ne expeditioni aut pugnae se prius committeret, quam sectarum ardua ac perocculta explanavisset.* — cap. 20, 33 (101, 10) *quem ferunt illo temporis Bassiani scrinia curavisse.* — 31, 3 (108, 8) *. . . cum proceres primum hostem, dein . . Augustum appellavissent.* — 33, 11 (109, 28) *. . nequaquam mirum videri, si rem Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius eiusdem artis auctor stirpisque ac nominis solidavisset.* — 36, 2 (115, 11) *cum tamen prius auctores Aureliani necis maximeque Mucaporem ducem quod ipsius ictu occiderat excruciavisset . .* — 41, 20 (126, 23) *alteros* (scil. Nicaeenses) *Marcus Boionius afflixerat mulcta, quod Hipparchum praestanti ingenio indigenam fuisse ignoravissent* (Hipparchus vir scientia astronomica insignis dicitur).

3) Sallustius u. Aurelius Victor, JclPh. 127 (1883), p. 218; cfr. Eduardus Wölfflin, Aurelius Victor, Rh. Mus. 29 (1874), p. 285.

4) Silvio Luigi Fighiera, La lingua e la grammatica di C. Crispo Sallustio, Savona 1897, p. 29, qui hac in re Sallustium cum veteres scriptores tum Catonem secutum esse dicit. cfr. L. Constans, De sermone Sallustiano, Paris 1880, p. 10; A. Laws, De dicendi genere Sallustii, Progr. Rössel 1864, p. 10. exempla Sallusti haec sunt: Cat. 20, 10 (17, 19 Ahlb. Lips.) in oratione; Iug. 14, 5 (63, 20) in oratione; Iug. 58, 3 (100, 27); Hist. IV 69, 10 ep. Mithr. (160, 19); Hist. I 33; II 5.

tati sunt, nihil ea de re invenerim, ipse librum Sallusti de coniuratione Catilinae perlegi: septies reperiuntur formae *-avissent* etc., bis figura correpta.[1]) Victor igitur hac in re quoque Sallustium secutus est. neque aliter res se habet, quod et Victor et Sallustius figuras correptas indicativi plusquamperfecti omnino vitabant.

Cum vero formae *-avisse* etc. temporibus saeculi quarti exeuntis paene omnino non usurparentur, id quod iis quae exposui probatur, Victorem qui Sallusti sermonem imitatus sit, considerate atque cum studio has ipsas terminationes perfecti et plusquamperfecti observasse apertum est. quin etiam cum complures huius aevi scriptores ad certas regulas hac in re sermonem direxisse demonstraverim, in scholis oratorum magistros discipulos ut id studerent instruxisse videmus.[2]) quodsi Victor Sallustium ita enixe aemulabatur, excerpta magis transfigurare coactus erat, quod permulti qui opusculum eius accessere, iam statuerunt.[3])

5. IN EPITOMA VICTORIS

Praeter Victoris qui *Historiae Abbreviatae* inscribitur, libellum nobis Anonymi liber *de vita et moribus imperatorum breviatus ex libris S. Aurelii Victoris* traditus est. ex titulo ipso libellum Anonymi Epitoma qui appellatur de Victoris opere fluxisse concedendum est. id quod primus statuit Arthurus Cohn[4]), postquam quae Theodorus Opitz[5])

1) Cap. 22, 2 (33, 9 Ahlb. Ups.) *inde cum post execrationem omnes degustavissent, . .* (*-assent* duobus in codicibus, in altero corr.). c. 30, 6 (40, 14) *si quis indicavisset de coniuratione* (*-asset* quattuor codices). — c. 52, 36 (73, 107) *crudelia facinora in civis patriamque paravisse.* — c. 53, 3 (74, 9) *ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse.* — c. 53, 4 (74, 12) *paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse.* — c. 56, 4 (78, 10) *si Romae socii incepta patravissent.* — c. 56, 5 (79, 2) *causam civium cum servis fugitivis communicavisse.* — formae correptae his locis inveniuntur: c. 18, 7 (27, 14) *quodni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, . .* — c. 20, 14 (31, 15) in oratione Catilinae: *en illa illa quam saepe optastis libertas.* accedunt loci duo, quibus per corruptelam sive additamentum formae correptae exstiterunt: c. 51, 24 (64, 15) *sin quia levius est [quod iudicastis], qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglexeris.* verba *quod iudicastis* soli praebent codices M 2. man. s T (del. postea) — c. 53, 4 (74, 13) *ac mihi multa agitanti constabat paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoque factum, uti divitias paupertas multitudinem paucitas superaret.* hic *superasset* praebent K M 2. m. T n e.

2) Id demonstratur etiam iis quae Quintilianus in Institutione Oratoria I 6, 17 exposuit: *Inhaerent tamen quidam molestissimae diligentiae perversitate, ut audaciter potius dicant quam audacter, licet omnes oratores aliud sequantur; et emicavit non emicuit, et conire non coire. his permittamus et audivisse et tribunale et faciliter dicere.* — § 21 *Multum enim litteratus qui sine aspiratione et producta secunda syllaba salutavit (avere est enim) et calefacere dixerit potius quam quod nos dicimus et conservavisse . . . recta est haec via: quis negat? sed adiacet et mollior et magis trita.*

3) Exempli causa affero verba Hermanni Dessau (Herm. 24 [1889] p. 362), qui Victorem ita res fere omnes vertisse dixit, ut proprio quodam stilo totum opusculum scriptum esse appareret. cfr. A. Enmann, Phil. Suppl. 4 (1884), p. 387. 399; E. Hohl, Klio 11 (1911), p. 209.

4) Quibus ex fontibus S. Aurelii Victoris et libri de Caesaribus et Epitomes XI capita priora fluxerint, Berlin 1884, p. 8 sqq.

5) Act. soc. phil. Lips. II (1874), p. 199.

Woelfflinus[1]) aliique censuerunt Historias Victoris abbreviatas, quae nobis traditae sint, ex uberiore quodam Victoris opere esse excerptas, gravissimis argumentis refutavit et redarguit.[2]) hac in Epitoma mirum in modum formae figuraeque diversae perfecti et plusquamperfecti distributae videntur esse. quae breviter hic proferam:

c. 1: ***-erunt*** 3 × ***-asset*** (p. 136, 18)

Epit. 1, 8 (134, 2) *Huic* (Augusto) *Persae obsides obtulerunt creandique reges arbitrium permiserunt. ad hunc Indi Scythae Garamantes Aethiopes legatos cum donis miserunt.* cfr. Suet. Aug. 21 *Parthi . . Armeniam vindicanti facile cesserunt et signa . . . reddiderunt obsidesque insuper obtulerunt, denique . . . nonnisi ab ipso* (Augusto regem) *electum probaverunt.* cfr. de vir. ill. 79, 4 (71, 1).

c. 2—11: ***-ere*** 9× ***-avissent***[3]) p. 144, 24 = Vict. p. 88, 28

plurima his in capitibus ad verbum cum Victore congruunt.

c. 12—15: ***-ere*** 2× ***-avisset, -asse*** (p. 150, 24)

c. 16—38: ***-erunt*** 7× ***-ere*** 4× ***-asset*** (p. 155, 23)

multa ad verbum cum Eutropio congruunt.[4])

c. 39—48: ***-ere*** 5× ***-erunt*** 2× ***-avisset*** 2× ***-assent*** 1×

pauca in c. 41, 2 sq. (166, 6 sqq.) cum Victore congruunt.

Aperte igitur signa sermonis Victoris cognoscimus inde a capite 2 usque ad 11, quibus Victorem hisce in capitibus fere solum fontem fuisse denuo demonstratur[5]), at in capite primo illas quas supra exscripsi sententias non ex Victore[6]), sed ex alio fonte et Suetonii simili fluxisse etiam formis perfecti apparet. ceteris in capitibus cum alios fontes tum Eutropium usurpatum esse etiam usu formarum diversarum perfecti et plusquamperfecti indicatur. non fontem communem, sed Eutropium ipsum nonnullis locis adhibitum esse hoc loco confirmari posse puto[7]):

1) Rh. Mus. 29 (1874), p. 283; sed ipse Theodori Opitz sententiam veram non esse dixit ALL. 12 (1902), p. 340.

2) Perperam Alfredus von Domaszewski, Die Personennamen bei d. SHA, in: Sber. Heidelb. Ak. 13, 1918, p. 23 Epitomam ex annalibus Nicomachi excerptam esse censet; cfr. E. Hohl, BursJber. 200 (1924), p. 182 sq.

3) Codices classis deterioris habent *-assent*, Gudianus 84 omnium longe optimus ceterique meliores servarunt *-avissent*, quod probatur lectione Victoris.

4) Epitomator c. 35, 4 (161, 29) *rebellarunt* scripsit pro *rebellaverunt*, quod habet Eutropius IX 14, sed praeterea rationem Eutropii his in formis secutus est.

5) Negat H. Peter, Die geschichtliche Literatur über d. röm. Kaiserzeit II, Leipzig 1897, p. 363: communi fonte Victorem et Epitomatorem usum esse dicit. sed Sallustiana illa non in fonte communi exstitisse eo plane demonstratur, quod quamquam pluribus locis Eutropium et Victorem communi fonte usos esse constat (cfr. A. Enmann, Eine verlorene Gesch. d. röm. Kaiser, Phil. Suppl. 4 (1884), p. 385, E. Hohl, Klio 11 (1911), p. 212, infra App. I, p. 60,5 sq.), tamen ne vestigia quidem coloris Sallustiani apud Eutropium inveniuntur.

6) Cfr. E. Wölfflin, Rh. Mus. 29 (1874), p. 294 sqq.; A. Cohn l. c. (s. p. 14,4), p. 41 una cum Victore Suetonium qui dicitur auctum, A. Enmann l. c. p. 495 solum Victorem adhibitum esse dixerunt. cfr. infra App. I, p. 63.

7) Negarunt F. Graebner, Eine Zosimosquelle, Byz. Z. 14 (1905), p. 147, R. Helm. Rh. Mus. 76 (1927), p. 255 adn.

c. 38, 7 (163, 13) *Condiscipulis quoque qui eum* (Carinum) *in auditorio verbi*[1]) *fatigatione taxaverunt, perniciosus fuit.* cfr. Eutr. IX 19, 1 (162, 3) *Condiscipulis quoque qui eum in auditorio vel levi fatigatione taxaverant perniciosus fuit*[2]); Paeanius: ἤδη δὲ καὶ τῶν συμπεφοιτηκότων αὐτῷ τινας ὑπὲρ τῶν γενομένων ἐν τῇ νεότητι προσκρουσμάτων ὠμότατα διεχρήσατο. his de locis Ernestus Hohl breviter egit.[3]) qui differentias quae sunt inter Epitomes et Eutropi textum iam in codicibus Eutropianis paucis exstare recte monuit. quodsi in Epitoma vocabula *verbi* et *taxaverunt* secundum Eutropi textum mutanda esse censet, cum vix credibile sit fuisse vitia illa iam in codice Eutropii, quo usus sit scriptor Epitomae, eum fugisse puto iam codicem Eutropianum Pauli vetustissimum omnium (ca. 770) has ipsas lectiones varias praebuisse.[4]) verisimillimum igitur est has corruptelas iam exeunte fere saeculo quarto in nonnullis codicibus Eutropi ortas esse. quae cum ita sint, ipsum Eutropi opus ab Epitomatore esse exscriptum confirmatur.

Quod quaeritur, cur in capite primo de Augusto et inde a capite 12 usque ad 15 vel 16 de Nerva Traiano Hadriano Antoninis scriptor Epitomae uberiorem fontem secutus sit facile explanatur. nam Theodosium cum Traiano ceterisque clarissimis qui adoptione imperium iniere Caesaribus et Augusto[5]) comparare in animo habebat: c. 48, 8 (175, 9 et 15) *Mens* (Theodosii) *vero prorsus similis* (Traiano) *adeo ut nihil dici queat, quod non ex libris in istum videatur transferri.* (cfr. p. 176, 14). cum vero Victor perpauca de ingenio et vita eorum praeberet, Epitomator haec ex alio et uberiore fonte hausit.

6. APUD MARIUM MAXIMUM

Epitomator, ut ex tabula supra p. 15 composita cognoscimus, in capitibus 12—15, quamquam non Victorem sed fontem alterum adhibitum esse dixi, tamen formas perfecti in *-ere* et *-avisse* exeuntes usurpare pergit. quaerendum igitur est, num hac ex re, quo fonte uberiore his in capitibus usus sit, satis certo iudicari possit. constat enim Epitomam multis locis inde a vita Hadriani usque ad Heliogabali cum Historia Augusta con-

---

1) Historia Miscella praebet *versuta*, p. 321, 32 (Droysen), sed alter codex Bambergensis 513 saec. IX, quem Franciscus Eyssenhardt in editione sua littera B signavit, habet *verbi*. quam lectionem Franciscus Pichlmayr in apparatu critico editionis corporis Victoriani (Leipzig 1911) errore codici D Bambergensi 514 saec. X (vide praef. p. XVIII adn. 34) tribuit. vid. Francisci Eyssenhardt apparatum crit. p. 235, 18; cfr. Droysen, ed. Eutr. p. XXVII; C. Wagener, Phil. 42 (1883), p. 512.

2) Variae lectiones: *verbi* P i. e. consensus codd. Pauli hist. Rom., D Vaticanus anni 1313; *taxa verunt* codd. Pauli, *relaxaverunt* Leydensis L, Bertinianus O, *taxavere* D, cfr. supra p. 10.

3) E. Hohl, Vopiscus und die Biographie des Kaisers Tacitus, Klio 11 (1911), p. 205; antea A. Enmann, Eine Gesch. d. röm. Kaiser, Phil. Suppl. 4 (1884), p. 385.

4) Errore etiam Ernestus Hohl pro P codice signum B altero loco, altero vero recte P posuit p. 205; vid. adn. 3.

5) Cfr. supra p. 2,5.

sentire.[1]) exempli causa primum et postremum locum, quibus haec opera congruere apparet, afferam:

SHA I Hadr. 1, 5 (1, 17)	Epitoma 14, 2 (149, 27)
imbutusque impensius Graecis studiis (Hadrianus), *ingenio sic ad ea declinante, ut a nonnullis Graeculus diceretur.*[2])	*hic* (Hadrianus) *Graecis litteris inpensius eruditus a plerisque Graeculus appellatus est.*
SHA XVII Heliog. 17, 1 (235, 17)	Epitoma 23, 6 (157, 15)
tractus deinde per publicum (Heliogabalus). *addita iniuria cadaveri est, ut id in cloacam milites mitterent. sed cum non cepisset cloaca fortuito, per pontem Aemilium adnexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abiectum est, ne umquam sepeliri posset*[3]).	*huius corpus per urbis vias more canini cadaveris a militibus tractum est militari cavillo appellantium indomitae rabidaeque libidinis catulam. novissime*[4]) *cum angustum foramen cloacae corpus minime reciperet, usque ad Tiberim deductus adiecto pondere, ne umquam emergeret, in fluvium proiectum est . . .*
ibid. 17, 5 (236, 1) *appellatus est post mortem Tiberinus et Tractaticius.*	*. . ex re quae acciderat Tiberinus Tracticiusque appellatus est.*

quod si percontaris, quem biographum — nam ab historico ad biographum transisse Epitomatorem supra exposui — et Epitomator et Scriptor Historiae Augustae usurpaverint, incides in Marium Maximum[5]), quem saepius ipse SHA inter auctores nominat. is vitas Caesarum Suetonium imitatus inde a Nerva usque ad Heliogabalum conscripsisse videtur[6]). eumque temporibus saeculi quarti exeuntis lectitatum esse ex verbis illis Ammiani non ignoramus XXVIII 4, 14 (469, 3) *quidam detestantes ut venena doctrinas Iuvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes.*

Id confirmatur proprietatibus quibusdam sermonis quas Mario Maximo attribuendas esse iudico. in Epitoma enim de Hadriano haec scripta sunt c. 14, 6 (150, 12) *varius multiplex multiformis*, quo asyndeto trium verborum unam notionem *varius* significari apparet. similia de Hadriano

1) Ch. Lécrivain, Etudes sur l'histoire Auguste, Paris 1904, p. 440 sq.

2) Falsa hoc de loco exposuit N. Baynes, The Historia Augusta, Oxford 1926, p. 77.

3) Haec ultima inepte adiecta esse quis est quin videat. iteratum enim *ne* molestissimum est. desunt vero in Epitoma, unde ab ipso SHA adiuncta esse concludendum est.

4) Hoc vocabulum proprium sermonis Epitomatoris est, a quo narrationem mortis complurium imperatorum incipit, cfr. 33, 2 (160, 19); c. 35, 8 (162, 10), E. Hohl, Vopiscus u. d. Biographie d. Kaisers Tacitus, Klio 11 (1911), p. 208. loco supra allato ab Epitomatore illud *novissime* additum esse apparet, ut lacunam celaret, quae sententia illa quam SHA retinuit *addita iniuria cadaveri* etc. omissa orta erat. subito enim foramen cloacae ab Epitomatore memoratur, quasi iam antea de eo locutus sit.

5) Id iam suspicatus est Th. Opitz, Quaestionum de S. Aurelio Victore capita III, in: Act. Soc. Phil. Lips. II 2 (1874), p. 230. cfr. H. Peter, Gesch. Litt. II, p. 154; contra Teuffel-Skutsch-Kroll, Gesch. d. röm. Lit.[6], Lpz. 1913, p. 245 „Marius Maximus . . . was ganz unsicher bleiben muß".

6) J. J. Müller, Der Geschichtsschreiber L. Marius Maximus, in: Untersuchungen z. röm. Kaisergeschichte hrsg. von M. Büdinger III, Leipzig 1870, p. 24.

narrat SHA I Hadr. 14, 11 (16, 6 sqq.) *idem severus laetus, comis gravis, lascivus cunctator, tenax liberalis, simulator <dissimulator>, saevus clemens et semper in omnibus varius.* quibuscum conferantur porro verba Epitomae paulo infra in eodem capite posita 14, 6 (150, 16) *continentiam facilitatem clementiam simulans, dissimulans ardorem gloriae . . .*

Et similem iuncturam trium verborum invenimus apud SHA I Hadr. 15, 10 (16, 24) paulo post ea quae supra exscripsi: *quamvis esset . . in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper ut doctior risit contempsit obtrivit.*[1]) *cum his ipsis professoribus et philosophis libris vel carminibus invicem editis saepe certavit.* etiam hic locus cum verbis Epitomae aliquantum congruit 14, 7 (150, 18) *acer nimis ad lacessendum pariter et respondendum seriis ioco maledictis*[2]); *referre carmen carmini dictum dictui prorsus ut meditatum crederes adversus omnia.*

Illud *risit contempsit obtrivit* iam Ernestus Kornemann[3]) ex sermone fontis Historiae Augustae promptum esse opinatus erat. quem fontem in capit. 14 et 15 vitae Hadriani Marium Maximum esse contendit. idem similes locos, ubi post asyndeton trimembre membrum quartum copula *et* vel sim. adiunctum est, Mario Maximo tribuit (l. c. p. 61), velut I Hadr. 20, 11 (22, 3) *uno tempore scripsit dictavit audivit et cum amicis fabulatus est* etc. hoc ipso loco id ea re verisimile fit, quod initio capitis ipse Marius Maximus laudatur (§ 3 p. 21, 14). praeterea sententia quae verba modo exscripta antecedit, p. 21, 29 sqq. *dixit et veteranorum nomina, quos aliquando dimiserat. libros statim lectos et ignotos quidem plurimis memoriter reddidit* congruit cum Epit. 14, 3 (150, 4) *memor supra quam cuique credibile est locos negotia milites absentes quoque nominibus recensere.* iterum occurrit dissolutio trimembris *locos negotia milites.*

Quae cum ita sint, ex Mario Maximo hos Epitomae et Historiae Augustae locos exscriptos esse et ipsum Marium Maximum asyndeto trimembri immodice usum esse existimo. id eo magis firmatur, quod Epitomator in vita Hadriani saepissime hunc in modum tria vocabula coniunxit p. 150, 5 *locos negotia milites* — v. 12 *varius multiplex multiformis* — v. 14 *ingenium invidum triste lascivum et ad ostentationem sui insolens* — v. 16 *continentiam facilitatem clementiam.*[4]) quos locos fere omnes cum Historia Augusta supra comparare potui. inter exempla vero sex asyndeti trimembris, quae congessit Ericus Tidner l. c. (i. p. 47 c) p. 56 sqq. ex vita Hadriani Historiae Augustae, quattuor exstant iis locis qui cum

---

1) *Obterere* pro *contemnere* non nisi hoc loco a SHA usurpatur. invenitur praeterea XXV Claud. 12, 4 (143, 18) *sed illi provincialium virtute obtriti sunt* i. e. repulsi, devicti.

2) Cfr. quae Florus poeta scripsit Hadriano isque ei rescripsit HA I Hadr. 16, 3 (17, 11 sqq.).

3) Kaiser Hadrian und der letzte große Historiker von Rom, Leipzig 1905, p. 59 sq., sed Epitomam omnino neglexit. cfr. Ch. Lécrivain l. c. (s. p. 17,1), p. 111.

4) Ceteris Epitomae partibus non nisi paucis locis huiuscemodi dissolutiones inveniuntur: p. 134,5 — 134,32 — 138,10 — 143,30 — 167,19 (?) — 172,22. quod occurrit p. 154, 30 *affatu convivio incessu* ex Mario Maximo fluxisse infra ostendam p. 19.

Epitoma consentiunt: Hadr. 14, 9 (16, 1) *arithmeticae geometriae picturae peritissimus* ~ Epit. 14, 2 (149, 31) *musicus geometra pictor fictorque ex aere vel marmore* — Hadr. 21, 5 (22, 24) *fuerunt eius temporibus fames pestilentia terraemotus, quae omnia .. procuravit multisque civitatibus vastatis per ista subvenit* ~ Epit. 14, 4 (150, 8) *cum oppida universa restitueret.* cetera exempla iam supra tractavi, reliqua sunt Hadr. 16, 8 (18, 1) — Hadr. 26, 4 (27, 22).

Quod si quaerimus haec res unde originem capiat, apud Sallustium saepius legimus talia, velut Iug. 1, 4 (53, 14 Ahlb. Lips.) *per socordiam vires tempus ingenium diffluxere;* 85, 10 (119, 12) *ut in tanta re ignarus omnium trepidet festinet sumat aliquem ex populo monitorem officii sui;* Cat. 2, 7 (3, 21) *quae homines arant navigant aedificant;* 9, 2 (9, 5) *iurgia discordias simultates.*[1]) quid? nonne ex illa formarum perfecti tabula supra p. 15 posita formam illam apud Sallustium usitatam *-ere* non modo prioribus capitibus XI Epitomae, sed etiam inde a c. 12 usque ad c. 15 — scilicet p. 147, 31 et p. 151, 20 — solas esse adhibitas cognoscitur, quamquam Epitomator ad alterum fontem a Victore diversum transiit? nonne in Historiae Augustae usque ad Heliogabalum vitis complura Sallustiani sermonis vestigia inveniri iam dixit Elimarus Klebs[2])? et Epitomator quamquam inde a capite 16 cum Eutropio usus sit plerumque formam *-erunt* adhibuit, nonne et c. 18, 4 (154, 26) scripsit *blandus magis quam beneficus, unde eum Graeco nomine chrestologon appellavere* et paucis versibus infra *communem se affatu convivio incessu praebebat*? ex Mario Maximo nimirum sumpta esse verisimile fit ex SHA VIII Pert. 12, 1 (124, 28) *magis blandus quam benignus* et 13, 5 (125, 29) *chrestologum eum appellantes.*[3]) Marium Maximum igitur volumina Sallustiano colore exornasse verisimillimum esse mihi videtur. et altero loco Epitomam c. 14, 6, altero Historiam Augustam I Hadr. 15, 10 propius a fonte abesse iudico.

---

1) De asyndeto trimembri cfr. Leumann-Hofmann p. 846 sq. de dissolutionis usu apud Sallustium cfr. W. Kroll, Glotta 15 (1927), p. 281 sq. Sallustius etiam synonyma saepius asyndeto iunxit, W. Kroll, p. 301, et membrum quartum cum antecedenti copula *atque* etc. coniungere solebat, E. Wölfflin, ALL. 11 (1900), p. 32.

2) Rh. Mus. 43 (1888), p. 330 a. 3. sane minoris ponderis sunt quae protulit, et denuo investigandum est.

3) Otto Th. Schulz, Das Kaiserhaus der Antonine u. d. letzte Historiker Roms, Leipzig 1907, p. 108 haec a Theodosiano qui dicitur falsario conscripta esse ratus ab Epitomatore ex HA sumpta esse censet. similiter Lécrivain l. c. (s. p. 17), p. 441. sed ipse Otto Th. Schulz, p. 22 de HA III Ant. P. 13, 1—2 (46, 4 sqq.) haec dicit: „C. 13, 1—2 ist eine *fuit*-Charakteristik aus der Feder des Schlußredaktors auf Grund des Marius Maximus.“ praeter alia vero ibi haec scripta sunt (c. 13, 2): *senex etiam antequam salutatores venirent panem siccum comedit ad sustentandas vires.* haec in Epitoma quoque memorantur 15, 5 (151, 22) *priusquam salutandum prodiret, degustans panis aliquantulum ne frigescente circum praecordia per ieiunium sanguine viribus exesis interciperetur eoque actui publicorum minime sufficeret, quae incredibili diligentia ad speciem optimi patris familias exsequebatur.* et in HA et in Epitoma haec ex communi fonte fluxisse certum est, cum Epitomator plura quam SHA praebeat. idemque censeo de loco supra allato. — falso A. Enmann l. c. (s. p. 15), p. 404 sq. Ammianum esse fontem coniecit, cfr. E. Hohl, Klio 11 (1911), p. 227.

Sed difficultatem quandam quae iam oritur exponere non omittam. etiam in prioribus capitibus XI Epitomae huiusmodi iuncturas occurrere supra p. 18 adn. 4 dixi. nec minus apud Victorem, quippe qui Sallustium imitatus sit, hic usus dissolutionis invenitur.[1]) fieri igitur poterat, ut hanc sermonis proprietatem Epitomator ex Victore solo caperet. sed pleraque Victoris exempla et Epitomae fere omnia priore parte utriusque libelli exstare dico usque ad vitae Septimi Severi fere descriptionem. huc accedit, quod Woelfflinus in prioribus XI capitibus Epitomae etiam in iis partibus, quae neque ad verbum cum Victore congruant neque Suetoni similiora sint, tamen Sallustiani coloris vestigia vidit.[2]) quae cum ita essent, ille tum ex uberiore Victoris opere et Caesares et Epitomam excerptos esse dixit, id quod redarguit Arthurus Cohn (vid. s. p. 14). iam denuo quinam fuerit fons Epitomae his partibus, quaerendum est. an Marius Maximus, quem Sallustiano colori studuisse dixi, non modo vitas Caesarum inde a Nerva, quod hucusque sine ullo certo argumento viri docti existimarunt, sed inde ab Augusto ipso conscripsit?

---

1) E. g. p. 89,16 — 93,7 — 85,20 — 92,5 — 100,22 — 101,23 — 82,27 — 123,1 — 126,14 — 128,4.

2) Rh. Mus. 29 (1874), p. 299 sqq.; multo plura, quam apud Suetonium et Victorem exstant, Epitomator in vita Augusti narrat. unde e. g. fluxit 1, 10 (134, 6 sqq.) *adeo denique turbas bella simultates execratus est, ut nisi iustis de causis numquam genti cuiquam bellum indixerit, iactantisque esse ingenii et levissimi dicebat ardore triumphandi et ob lauream coronam, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem civium praecipitare*? nil nisi brevis sententia illa de Suet. Aug. 21, 2 *nec ulli genti sine iustis et necessariis causis bellum intulit* sumi poterat. tamen reliqua parte more Sallusti non modo asyndeton trium synonymorum occurrit, sed etiam inconcinna iunctura *ardore .. et ob .. coronam*, cfr. W. Kroll l. c. (s. p. 19,1), p. 287.

II. DE FONTIBUS RUFI FESTI HIERONYMI SCRIPTORIS HISTORIAE AUGUSTAE

Postquam quantum proficere possumus investigantes usum formarum perfecti et plusquamperfecti ostendi, de fontibus *breviarii Rufi Festi de breviario rerum gestarum populi Romani* (E. Wölfflin, ALL. 13 (1904), p. 71) agere in animo habeo. id simul usui nobis erit in fontibus Hieronymi et Scriptoris Historiae Augustae cognoscendis.

1. DE EUTROPIO FESTI FONTE

Rufius Festus in breviario cum semper correptam formam *-asset* adhibuit, tum scribere solet *regnarunt* etc.[1]) uno tantum loco admisit *aedificaverunt:* c. 22 (19, 5 Foerster) (Gordianus) *rediens victor de Perside fraude Philippi, qui praefectus praetorio eius erat, occisus est. milites ei tumulum in vicesimo miliario a Circesso castro, quod nunc exstat, aedificaverunt atque exsequias eius Romam cum maxima venerationis reverentia deduxerunt.* quae fere ad verbum ex Eutropii breviario sumpta videntur esse: IX 2, 3 (150, 18) *Rediens haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperavit. miles ei tumulum vicesimo miliario a Circesio, quod castrum nunc Romanorum est Euphratae inminens, aedificavit, exsequias Romam revexit, ipsum Divum appellavit.*[2]) quae

1) Septies c. 2 (5, 11 Foerster) *regnarunt;* c. 9 (10, 25) *habitarunt;* c. 14 (14, 13) *dimicarunt;* c. 18 (16, 19) *occuparunt* (fons hoc loco praebuisse videtur *occupaverunt:* Liv. per. 127); c. 20 (17, 23) *sacramenta foedarunt;* c. 26 (20, 21) *trepidarunt;* c. 27 (21, 13) *occuparunt.* locis prioribus tribus codices familiae b (W P1), Escorialensis habent figuram extensam *-averunt,* cum ceteris locis omnes codices consentiant (*regnaverunt* et W1). sed W P1 E saepius perperam textum mutaverunt, imprimis tempora verborum, velut c. 23 (19, 16) *defendisset: defendit* E b; c. 19 (17, 13) *continerentur* omnes codd.: *continentur* E; E b semper scripserunt *petierunt* c. 7 (9, 17), c. 11 (12, 17) *sub afrace re petierunt* E; *sub africae repetierunt* b omnino textu depravato, quem ceteri codices sic exhibent: *sub Epafrace rege petiverunt.* vid. Foersteri diss. De Rufi breviario eiusque codicibus in prooemio editionis p. 16, conferatur etiam c. 9 (10, 25) cum Amm. Marc. XXVII 4, 4 (425, 24). de codicibus Festi cfr. App. II, p. 63.

2) Cfr. Vict. Caes. 27, 8 (105, 30) *Ibi* (scil. in Persis) *gesto insigniter bello Marci Philippi praefecti praetorio insidiis periit sexennio imperii.* Epit. 27, 2 (158, 19) .. *imperavit annos sex. apud Ctesiphontem a Philippo praefecto praetorio accensis in seditionem militibus occiditur anno vitae undevicesimo. corpus eius prope fines Romani Persicique imperii positum nomen loco dedit Sepulcrum Gordiani.* Cfr. SHA XX Gord. c. 29 sqq. impr. 34, 2 (56, 4) *Gordiano sepulcrum milites apud Circesium castrum fecerunt in finibus Persidis, titulum huius modi addentes . . .*

verba iam Eduardus Wölfflin[1]) Festo ante oculos fuisse contendit. vocabulum enim *exequiae* ab Eutropio primo usurpatur pro *corpus* vel *cinis*.[2]) cum vero bis hoc verbum adhibuerit Eutropius (VII 18 p. 128, 11 *ut etiam exequias Neronis, quae humiliter sepultae fuerant, honoraret*), ex Eutropio ipso id sumpsisse Festus mihi quoque videtur. quid? supra p. 8sq. Eutropium nonnisi figuras perfecti extensas in *-averunt* exeuntes usurpasse statui. dixerim igitur Festum cum Eutropii verba exscriberet, secundum usum Eutropii illam formam *-averunt* in excerpta excepisse neque cum opusculum suum componeret, satis transfigurasse excerpta.[3])

DE FESTI CLAUSULIS DIGRESSIO

Cum vero Rufium Festum maiore quodam genere dicendi in opusculo conficiendo usum et virtutes oratoris aliquantum persecutum esse perspicuum sit, eum clausulas adhibuisse putaverim.[4]) quod si probatum erit, num Festus clausulae causa scripserit *aedificaverunt* quaerendum est. itaque quia in prooemio et in epilogo libelli scriptorem suo et proprio

---

1) ALL. 13 (1904), cum in p. 73 tum 74. ei assentiuntur: H. A. Sanders, The lost Epitome of Livy (in: Roman Historical Sources and Institutions) New York 1904; E. Kornemann, Eine neue Livius-Epitome, Beitr. z. alt. Geschichte (Klio) Beih. 2 (1904), p. 88; E. Hohl, Vopiscus und die Biographie d. Kaisers Tacitus, Klio 11 (1911), p. 209; Marco Galdi, L'Epitome nella letteratura latina, Napoli 1922, p. 241. pridem hoc statuerat Ricardus Jacobi, De Festi breviarii fontibus, Bonn 1874, p. 45—50, qui nimis argute fere omnes, quae sunt inter Eutropium Festumque discrepantias, a Festo ultro, perpaucas memoriter et eas saepius falsas additas esse censuit. eum secuti sunt W. Foerster, De Rufi Festi breviario eiusque codicibus, Wien 1874, p. 15; Paul Ebeling, Quaestiones Eutropianae, Halle 1881, p. 4.

2) Cfr. etiam H. Hagendahl, Studia Ammianea, Uppsala 1921, p. 31, 2.

3) Pro singulari Eutropi Festus pluralem posuit. cfr. Amm. XXVII 4, 10 (427, 3) *oppida enim in Bosporo sita et Propontide classes obtinuére Romanae*, quae sumpta sunt ex Festi capite 9 (11, 7) *Europae maritimas urbes antea Romana classis obtinuit.* (cfr. Mommsen, Herm. 15 (1880), p. 605 = Ges. Schr. VII p. 396sq.) videsne non modo pro *Europae urbes* verbis duo et certa nomina posita esse, sicut altero loco Amm. XXVII 4, 4 (426, 1) pro verbis Festi (c. 9 p. 11, 2) *diis suis* nomina certa Bellonae et Martis, sed etiam numerum esse mutatum. id addo: non nisi hoc loco pluralis verbi *classis* apud Ammianum invenitur. et hic et illic scriptor quodam modo verba fontis mutare maluit ex more antiquorum. nec clausulae causa Ammianus variavit verba, cum et *clássis obtinuit* –́ ⏑ ⊥ ⏑⏑ ⏑ ×́ × × ×́ × × optimum praebeat cursum. aliud exemplum apud Solinum inveni c. 5, 15 (53, 14 Mommsen) *Pyrrhi regis, qui adversus Romanos bella gessit*, quae sumpta sunt ex Plinii nat. hist. XXXVII § 5 *Pyrrhi illius qui adversus Romanos bellum gessit.* Mommsen praef. ed. Solinianae p. IX, A. Schmekel, Isidorus von Sevilla, Berlin 1914, p. 101. aliud exemplum apud Haraldum Hagendahl l. c. (s. a. 2) p. 88. 81.

4) Quod iam apparet ex usu formarum perfecti in *-ere* exeuntium:

c. 3 (6, 20) *In Asia expulso Antiocho primum pedem posuére Romani* –́ ⏑ ⊥ –́ –

c. 11 (12, 19) *Semper inter auxilia nostra fuére Cappadoces* –́ ⏑ ⊥ ⏑́⏑ – *et ita maiestatem coluére Romanam* –́ ⏑ ⊥ –́ ⏑

c. 14 (14, 2) *Phylarchi Saracenorum in Osrhoena cessére superati* –́ ⏑ ⏑́⏑ –́ –

huiusmodi formas igitur remotas esse a fine sententiae in locum secundum necessario numeri causa manifestum est, id quod ostendit Hagendahlius, Die Perfektformen auf *ere* und *erunt* (vid. s. p. 10) apud scriptores plurimos. — praeter ea quae attuli exempla bis haec figura occurrit: c. 5 (8, 3) *Celtiberi in Hispania saepe rebel-*

stilo scripsisse certum est, horum textum sicut numeri indicant interpunctum profero:

cap. 1: *Brevem fieri clementiá tua praecepit* ⏖ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ *parebo libens praecepto quippe cui desit facultas latius éloquendi* ⊥ ⏑ – – *ac morem secutus calculonum qui ingentes summas brevioribus exprimunt* ⊥ ⏖ ⊥ ⏑ ⏓? cfr. append. IV p. 67. *res gestas signábo non eloquar* ⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ ⏓ *accipe ergo quod breviter dictis brevius cómputetur* ⊥ ⏑ – ⏑ *ut annos et aetatém rei publicae* (⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ ⏓) *ac praeteriti facta temporis non tam legere tibi gloriosissime princeps quam numeráre videaris* ⊥ ⏑ ⏖ ⊥ ⏑

cap. 30: *Quam magno deinceps ore tua princeps invicte fácta sunt personanda* ⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ – ⏑ *quibus me licet imparem dicendi nisu et aevo graviorém parabo* ⊥ ⏑ – ⏑ *maneat modo concessa dei nutu et ab amico cui credis et creditus es numine indúlta felicitas* ⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ ⏓ *ut ad hanc ingentem de Gothis* (scil. anni 369) *etiam Babyloniae tibi palma pácis accedat* ⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑. altrinsecus multis locis clausula omnino desideratur aut peiores adhibentur, ubi fontem a Rufio diligentius esse expressum videmus, velut c. 13 (13, 17) *Cyprus famosa divitiis paupertatem populi Romani ut occuparetur sollicitavit* – ⏑ ⏑ – ⏑ † *eam rex foéderatus regebat* ⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ – ⏑ *sed tanta fuit penuria aerarii Romani et tam ingens opum fama Cýpriorum* ⊥ ⏑ – ⏑ *ut lege data Cyprus confiscarí iuberetur* ⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ *quo accepto rex Cýprius nuntio* ⊥ ⏑ ⏓ ⊥ ⏑ ⏓ *venenum sumpsit* ⊥ – – ⏑ † *ut vitam prius quam divitias amitteret* – – – ⏑ ⏑ *Cato Cyprias opes Romam navibus advexit* – ⏑ ⏑ – – ⏑ †. quomodo fontem secutus sit Festus hac in re describenda, Flori verbis comparatis iam videbis I 44 (105, 18 Roßb.) . . . *Cypros recepta sine bello. insulam veteribus divitiis abundantem et ob hoc Veneri sacram Ptolemaeus regebat. et divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus et donare regna consuetus P. Clodio tribuno plebis duce socii vivique regis confiscationem mandaverit. et ille quidem ad rei famam veneno fata praecepit. ceterum Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium invexit.* verisimile non est Florum hoc loco ipsum a Rufio excerptum esse, sed utrumque Livii quandam epitomen esse secutum, quam diligentius Floro Festum exscripsisse.[1])

---

lavere (codd. b *-abant*); c. 4 (7, 9) *Sardiniam et Corsicam Metellus vicit, triumphavit de Sardis, rebellavere saepe Sardi. iuncta administratio harum insularum fuerat, post suos praetores habuit* . . verba *rebell. saepe Sardi* desunt in b familia et E. quae spuria esse censet Wendelinus Foerster, De Rufi F. breviario eiusque codicibus p. 6 quippe quae sententiarum impediant conexum. sed Festum saepius minus apte excerpta sua composuisse infra docebo. denique b codices etiam alibi pauca omiserunt: c. 20 (17, 24) — observandae sunt etiam verborum transgressiones plurimae velut c. 22 (18, 24) *Romani gubernacula suscépit imperii* ⊥ ⏑ ⏓ ⏖ –; c. 9 (11, 1) *multa de saevitia praedictorum fabulósa memorantur* ⊥ ⏑ ⏖ ⊥ ⏑.

1) Ricardus Jacobi, De Festi breviarii fontibus, Bonn 1874, p. 32; Herm. Finke, Amm. Marc. u. seine Quellen zur Geschichte d. röm. Republik, Heidelberg 1904, p. 59; cfr. Gardthausen, Die geograph. Quellen Ammians, JclPh. Suppl. 6 (1873), p. 527: *penuriam* enim *aerarii Romani* Festus apud Florum invenire non potuerat. at Flori ipsius opus aliis locis a Festo inspectum esse Eduardo Wölfflin concedendum est (ALL. 13 [1904], p. 77 sqq.). sed cfr. infra p. 46 a. 1.

eiusque verbis postremis maxime fontem esse expressum etiam ex consensu Flori Festique cognoscimus: *navibus advexit* ∼ *liburnis* . . *invexit.* qua re effectum est, ut series syllabarum apud Festum numero non conveniat[1]), cum Florus paucis permutatis optimum rhythmum constituerit: *óstium invexit* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑. similiter res se habet loco de quo agitur. Eutropii verba clausula heroica concluduntur *aedificavit.* nec Rufius Festus in melius res vertit, quod scripsit *aedificaverunt,* quo eadem series syllabarum (– ⏑ ⏑ – – – vel ⏑ ⏑ – – –) facta est, quae supra in loco fonti quam simillimo exstitit. quae cum ita sint, ut clausulam efficeret Festum mutasse verba agnosci non potest, immo rhythmo peiore fontem ad verbum fere exscriptum esse indicatur. quem fontem Eutropium fuisse suspicatus sum secutus Ricardum Jacobi et Eduardum Wölfflin.

2. MOMMSENUS EUTROPIUM A FESTO EXSCRIPTUM ESSE NEGAT

Sed Mommsenus et Droysenus in praefatione editionis Eutropianae (Monumenta Germaniae Historica auct. antiqu. t. II, p. XXV sqq.) Eutropium omnino non exscriptum esse a Festo censuerunt. denuo igitur quae hac de re disseruerunt mihi tractanda sunt.

---

1) Seriem – ⏖ – – ⏑ eandem esse atque –́ – –̀ – ⏑ pro –́ ⏑ –̀ – ⏑ vix putaverim, nec placet ⏖́ – – ⏑ pro –́ ⏑ – ⏑, praesertim cum verbis paululum mutatis velut *navibus vexit* –́ ⏑ –̀ – ⏑ optima clausula orta esset. apud Firmicum Maternum in libro de errore profanarum religionum (a. circ. 346) uno tantum loco exstat clausula – ⏖ – – ⏑ XIII 4 (p. 33, 13 Z.) *In primis enim librorum partibus, id est in ipsis auspiciis positus, dixit* (scil. Porphyrius): *Serapis vocatus, et intra corpus hominis conlatus tália respondit* – ⏑ ⏑ – – ⏑ (cfr. Ziegler praef. p. XXIV). sed cum clausula illa in verbis ex opere Porphyrii exscriptis occurrat, numerus peior iam explicatur. sin clausula probatur, res ipsa non cadit. cum non satis transfigurare verba fontis valebat Festus vel volebat, peiore rhythmo contentus erat, qui saepius duas breves pro longa inusitato modo praeberet. sic ne in fine quidem capitis decimi quarti (14, 11) *Euphraten esse voluit* –́ – –̀ –́ ⏑ ⏖ ⏑ vel –́ ⏑̄ –̀ ⏖́ ⏑ ⏑̀ (= cap. 20 ex., sed cfr. p. 28 sq.) clausulam agnosco, quae apud Eutropium paululum mutata collocatione optimum habent numerum VIII 6, 2 *esse vóluit Euphraten* ⏖́ ⏑ –̀ –́ –. denique ubi Festum sermonem proprium nec fontis cuiusdam verbis turbatum scripsisse constat, ut locis supra allatis sic in initio c. 15: *Scio nunc inclyte princeps quo tua pérgat intentio* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ *requirés profecto* –́ ⏑ – – *quotiens Babyloniae ac Romanorum árma conlata sint* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ *et quibus vicibus sagittis píla contenderint* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ (*contenderunt* Escor.; obstat clausula deterior) *breviter eventus enumerábo bellorum* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ *furto hostes in paucis invenies ésse laetatos* –́ ⏑ –̀ –́ – *vera autem virtute semper Romanos probabis exstitísse victores* –́ ⏑ –̀ –́ – et in initio capitis 10: *Nunc Eoas partes totúmque Orientem* –́ ⏑/⏖́ – ⏑ (syllabae 13) *ac positas sub vicino sóle provincias* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ (syllabae 14) *qui auctores sceptris tuis paráverint* (*-averunt* E et W, cfr. supra *contenderint*) *explicabo* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ – ⏑ *quo studium cleméntiae tuae* (– ⏑ – ⏑ –) *quod in isdem propágandis habes* (–́ – – ⏑ –) *amplius íncitetur* – ⏑ – ⏑ his dico locis eum raro duas breves pro longa, nisi quo solent etiam ceteri scriptores, et fere omnino non longam pro brevi admisisse apparet. cfr. p. 10 sq. et App. IV, p. 67 sqq.

Ut res diiudicetur, verba Rufi Festi Eutropi Paeani comparanda sunt:

Eutrop. VIII 3, 1	Ruf. F. 14 (14, 5)	Ruf. F. 20 (17, 23)	
(Traianus) *Armeniam quam occupaverant Parthi recepit*		*Traianus qui post Augustum Romanae rei publicae movit lacertos, Armeniam recepit a Parthis.*	Florus prooem. 8 (6, 13) *nisi quod sub Traiano principe movit lacertos.*[1]) cfr. Cassius Dio LXVIII 19, 3[2]); Mommsen-Droysen l. c. p. XXVI. cfr. Fronto princ. histor. p. 209[3]); Arrian. Parth. fr. 40 Roos[4]); Wölfflin ALL. 13, p. 76.
	ad extremum sub Traiano principe regi maioris Armeniae diadema sublatum est	*sublato diademate Armeniae maioris regnum ademit.*	
Parthomasiri occiso qui eam tenebat.			
Albanis regem dedit. Hiberorum regem et S a u r o m a t a r u m *et Bosporanorum et Arabum et Osdroenorum et* C o l c h o r u m *in fidem accepit.*		*Albanis regem dedit. Hiberos Bosporianos* C o l c h o s *in fidem Romanae dicionis recepit. Osrhoenorum loca et Arabum occupavit.*	Paean. Ἰβήρων τε καὶ Σαυροματῶν καὶ τῶν ἐν Βοσπόρῳ, ἔτι δὲ Ἀραβίων καὶ Ὀσδροηνῶν τοὺς βασιλεύοντας ὑποσπόνδους ἐποιήσατο.
Carduenos Marcomedos occupavit et Anthemusiam magnam Persidis regionem, Seleuciam Ctesiphontem Babylonem Messenios vicit ac tenuit.		*CarduenosMarcomedos obtinuit, Anthemusiam, optimam Persidis regionem, Seleuciamque Ctesiphontem Babyloniam accepit ac tenuit.*	
usque ad Indiae fines et mare Rubrum accessit. a t q u e i b i tres provincias fecit Armeniam Assyriam Mesopotamiam cum his gentibus quae Madenam attingunt.	*et per Traianum Armenia Mesopotamia Assyria*	*usque ad Indiae fines* p o s t A l e x a n d r u m *accessit. in mari Rubro classem instituit. provincias fecit ArmeniamAssyriam Mesopotamiam.*[5])	Paean. post alia pergit: ἄχρις αὐτῶν ἐχώρησεν Ἰνδῶν καὶ τῆς Ἐρυθρᾶς καλουμένης θαλάσσης. ὅθεν ἀρξάμενος τρεῖς ἐπαρχίας κατῴκισεν Ἀρμενίαν τε καὶ Ἀσσυρίαν καὶ τὴν μέσην

1) cfr. V. Gardthausen, JclPh. Suppl. 6 (1873), p. 526 adnot.; Eussner, Phil. 34 (1876), p. 176; 37 (1877), p. 155; Wölfflin, ALL. 13 (1904), p. 79; C. Schrader, De scriptoribus rerum Augusti temporibus gestarum etc., Münster 1877, p. 44 a. 52.

2) τό τε διάδημα ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἀφεῖλε (scil. Παρθαμάσιρις) καὶ πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ (scil. Τραϊανοῦ) ἔθηκε; 20, 3 . . καὶ Ἀρμενίαν μὲν οὐδενὶ προήσεσθαι ἔφη (scil. Τραϊ.), (Ῥωμαίων τε γὰρ εἶναι καὶ ἄρχοντα Ῥωμαῖον ἕξειν), ἐκείνῳ (scil. Παρθαμ.) μέντοι ἀπελθεῖν ὅποι βούλεται ἐπιτρέψειν. brevius Xiphilinus Παρθαμάσιριν δὲ τὸν Ἀρμενίων ἐτιμωρήσατο (p. 207 Boiss.).

3) *Traiano caedes Parthamasiri regis supplicis haud satis excusata. tametsi ultro ille vim coeptans tumultu orto merito interfectus est, meliore tamen Romanorum fama impune supplex abisset quam iure supplicium luisset.*

4) (Suid. s. v. γνῶσις): περὶ Παρθαμασίρου δὲ οὐχὶ Ἀξιδάρου εἶναι ἀλλὰ ἑαυτοῦ (scil. Τραϊανοῦ) τὴν γνῶσιν, ὅτι πρῶτος παραβαίνων τὰ ξυγκείμενα ἔτυχε τῆς δίκης. cfr. A. G. Roos, Studia Arrianea, Leipzig 1912, p. 37 sq. iudicium igitur de rege habebatur.

5) Codd. omnes: *Armeniam Mesopotamiam Assyriam*, corr. W. Foerster.

Eutrop.	Ruf. F. 14	Ruf. F. 20	
Arabiam postea in provinciae formam redegit. in mari Rubro classem instituit, ut per eam Indiae fines vastaret.	*et Arabia provinciae factae sunt*		τῶν ποταμῶν ἧς μέρος ἦν καὶ ἡ τῶν Ναριηνῶν χώρα κτλ.
	ac limes orientalis supra ripas Tigridis est institutus.	*quae inter Tigridem atque Euphraten sita inriguis amnibus instar Aegypti fecundatur.*	
Eutrop. VIII 6, 2 (Hadrianus) *qui Traiani gloriae invidens statim provincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, et de Assyria Mesopotamia Armenia revocavit exercitus ac finem imperii esse voluit Euphraten.*	*sed Hadrianus qui successit Traiano invidens Traiani gloriae sponte sua Armeniam Mesopotamiam Assyriam*[2] *reddidit ac medium inter Persas et Romanos Euphraten esse voluit.*	*Hadrianum gloriae Traiani certum est invidisse. qui ei successor in imperio sponte propria revocatis exercitibus Armeniam Mesopotamiam Assyriam concessit et inter Romanos ac Persas Euphraten medium esse voluit.*[3]	SHA I Hadr. 5, 3 (I 7, 16 Hohl) *quare*[1]) *omnia trans Tigrim reliquit;* 9, 1 (10, 31) *inter haec tamen et multas provincias a Traiano adquisitas reliquit.*

Quae si perspicimus, Eutropium et Festum persaepe ad verbum inter sese consentire apertum est. quibus dissentiant, haec fere sunt: in historia regis Armeniae Parthamasiri Festus paulo diligentius res refert, ut ex Cassio Dione cognoscimus. sed ne Eutropius, quidem falsa narrat, cum ex Frontonis et Arriani verbis regem post tumultum occisum esse intellegamus. porro in illo compendio rerum gestarum capitis decimi quarti Festus quattuor provincias a Traiano institutas esse memorat: Armeniam Mesopotamiam Assyriam Arabiam. uberiora sunt quae apud Eutropium et in capite 20 Festi legimus. quae etsi fere omnino inter se congruunt, nomina gentium vario ordine enumerantur. cum Eutropius satis habeat longa serie proferre nomina, Rufius Festus ea cum variatione quadam disponere maluit ut qui magis quam Eutropius apud quem enumerationes huiusmodi saepius invenimus, ornate dicere vellet.[4]) praeterea

1) Secundum SHA causa fuerunt seditiones plurimae cum aliarum tum *harum nationum, quas Traianus subegerat.*

2) Sic GPBW. — E et P 1 *arm. asyam mesopotamiam reddidit.* — W 1 *arm. asyam mesopot. assyriam.* rectum videtur esse, quod supra positum est.

3) E ordinem verborum mutatum praebet *medium voluit esse.*

4) Enumerationes longae apud Eutr. VII 19, 4 (130, 11) *Achaiam Lyciam Rhodum Byzantium Samum, quae liberae ante id tempus fuerant, item Thraciam Ciliciam Commagenem, quae sub regibus amicis egerant in provinciarum formam redegit.* fluxerunt ex Suetonio Vesp. 8, 4 (*Thracia* corrupt. ex *Trachia*) — VII 9 (118, 13) *Romano adiecit imperio Aegyptum Cantabriam Dalmatiam saepe ante sed penitus tum subactam, Pannoniam Aquitaniam Illyricum Raetiam Vindelicos et Salassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas civitates* etc. (cfr. Paean. qui cum primo omnia ex ordine transscripserit, tum vero pergit Ἰλλυριοί τε καὶ Παίονες καὶ Ἀκυτανοὶ καὶ Ῥητίαι etc. mutata serie nominum). A. G. Roosius (Studia Arrianea, p. 43 adn. 156), qui has

Festus omisit Sauromatas, pro quibus inseruit Colchos. Paeanius Colchos omnino neglexit, cum cetera cum Eutropio fere consentiant. quae sequuntur in utroque libello eadem serie referuntur, nisi quod Festus omisit Messenios et addidit illud *post Alexandrum.* in fine verborum quae exscripsi Festus brevius res narrat: Traianus ad Indos pervenit, in mari Rubro classem instituit, tres provincias fecit. omisit in capite vicesimo Arabiam, quam in capite decimo quarto commemoraverat. apud Eutropium legimus res ad Indos et mare Rubrum gestas, provincias ibi factas cum alias tum Arabiam, denique classem institutam, qua Traianus Indiam adire posset. tum Eutropius res alias sub Traiano gestas enarrare pergit. in libri VIII capite sexto demum ad res Persicas redit. quo in intervallo Festus et in capite decimo quarto et in vicesimo varia quaedam et minoris ponderis adiunxit. tum res Hadriani duobus illis capitibus enarrat, quae inter se et cum Eutropio consentiunt.

Ex temporibus Mommseni et Droyseni sic hac de re iudicatur[1]): cum non intellegatur illud *atque ibi* (p. 25) apud Eutropium, quia neque in India neque ad mare Rubrum (i. e. sinum Persicum) provinciae illae institutae sunt, Eutropius ea quae in fonte legebantur: *usque ad Indiae fines et mare Rubrum accessit atque ibi classem instituit,* confudisse, Festus optime retinu-

differentias inter sermonem Eutropi Festique neglexit, minus recte dixisse Eutropium monet: *regem Arabum* — intellige Mannum — *in fidem accepit.* id quod ita se habere concedendum est. sed altrinsecus rex Osdroenorum in fidem receptus est (A. v. Gutschmid, Untersuchungen zur Geschichte des Königreichs Osroëne, Petersburg 1887, p. 26). tamen Festus, postquam Hiberos Bosporianos Colchos in fidem acceptos esse dixit, pergit: *Osdroenorum loca et Arabum occupavit.* temere Hiberi Bosporiani Colchi alio verbo, alio Osroeni Arabes coniunguntur, ut dividantur gentes Ponti ab accolis Syriae et maris Rubri atque vitetur enumeratio longa. *occupavit* synonymum pro *in fidem accepit* videtur esse. velim conferas Eutr. VIII 18, 4 (146, 28) *Parthos vicit et Arabas interiores et Azabenos: Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret.* quae Festus c. 21 (18, 17) sic praebet: *Parthos strenue vicit, Adiabenos delevit, Arabas interiores obtinuit et in Arabia provinciam fecit,* ubi eandem differentiam ex studio variandi apud Festum ortam esse videmus. *obtinuit* hic pro *vicit,* alibi ut 18, 2 (locus supra exscriptus est p. 25) pro *occupavit* Eutropii 136, 20. cfr. ALL. 13 (1904), p. 176. ceterum simile vitium atque quod Roosius in Eutropio notavit, Eutropius commisit I 2, 2 (10, 4), de qua re cfr. Wladimirus Pirogoff, De Eutr. breviarii indole ac fontibus, Berlin 1873, p. 50 adn. 7, sed vid. ALL. 11 (1900), p. 7; cfr. Vict. Caes. 4, 2 infra p. 51,2. vix igitur Festum, cum rectum habere videatur, meliore quodam fonte usum esse concludere licet. immo Festus ut politiore arte opusculum conficeret, plura verba adhibuit, Eutropius brevitatis causa uno erat contentus.

1) Postremo quantum video A. v. Domaszewski, Die Personennamen bei den SHA (Sber. Heidelb. Ak. 1918, 13), p. 109 et A. G. Roos, Studia Arrianea, Leipzig 1912, p. 39 adn. 139, ubi ceteros qui hac in re Mommsenum secuti sunt nominat: E. Klebs, Rh. Mus. 45 (1890), p. 459; H. Peter, Die geschichtl. Lit. über d. röm. Kaiserzeit II 1879, p. 353, Die SHA, Leipzig 1892, p. 89, 2; M. Schanz, Gesch. d. röm. Lit. IV 1914, p. 82; quibus addo: Seeck PW VI 2258; Gensel PW VI 1525; Pirogoff l. c. (s. p. 9), p. 27; C. Wagener, Phil. 42 (1883), p. 522; 45 (1884), p. 533; H. Dessau, Herm. 27 (1892), p. 563, 1; G. Ay, De Livii Epitoma deperdita, Leipzig 1894, p. 51; G. Reinhold, Das Geschichtswerk d. Livius als Quelle späterer Historiker, Progr. Berlin 1898, p. 3 et WclPh. 22 (1905), c. 573; cfr. R. Helm, Hieronymus u. Eutrop, Rh. Mus. 76 (1927), p. 304.

isse videtur. porro gentes, quas et Eutropius et Festus enumerant, apud Festum magis ex ordine, quo orbem terrarum incolunt, relatas esse apertum est, cum Eutropius Colchorum nomen seriei toti minus apte adiunxerit. nec Festus ea quae de morte Parthamasiri narrat de opere Eutropi sumpsisse videtur, id quod ne Woelfflinus quidem satis refutavit (ALL. 13 1904 p. 76).

EXAMINANTUR LOCI FESTI, QUIBUS EUTROPIUM FESTO ANTE OCULOS FUISSE VERISIMILE FIAT

Sin diligentius narrationes supra exscriptas perscrutamur, Eutropium in capite tertio cum parsimonia quadam verborum breves sententias posuisse, in sexto vero capite non modo ut supra p. 12 demonstravi, rhythmis optimis orationes conclusisse, sed etiam plenius quasi circuitum et orbem verborum confecisse videmus. quibuscum ubi Festi verba comparaverimus, eadem ratione Festi sententias formatas esse cognoscemus: in priore parte capitis 20 abrupto sermonis genere Festus quasi enumerat *Albanis regem dedit — Hiberos Bosporanos Colchos in fidem Romanae dicionis recepit — Osrhoenorum loca et Arabum occupavit.* postea vero oratio procedit iunctis magis inter sese sententiis: *Hadrianum gloriae Traiani certum est invidisse. qui ei successor .. concessit et ... medium esse voluit* (vix *medium voluit esse* cum E). item in cap. 14: *Hadrianus qui successit Traiano invidens Traiani gloriae .. reddidit ac medium ... Euphraten esse voluit.* hic posterior sententia capitis 14 minus expolita esse videtur quam prior capitis 20: moleste repetitur nomen Traiani, clausulam in fine ut dixi (s. p. 24 a. 1) non agnosco. at in priore sententia capitis 20 iteratio verbis paululum mutatis evitata est; in fine cum quam praebent codices omnes praeter Escorialensem lectio clausulam non efficiat, in Escorialensi ordine vocabulorum variato optimus numerus exstat (⏑́ ⏑ ⏑́⏑ – ⏑). sed haec lectio cum in E solo exstet, etsi antiquissimus omnium codex iam saeculo VII conscriptus videtur esse[1]), hoc loco minoris ponderis est.

Quae cum ita sint, sententia capitis 14 prior conscripta esse videtur. itaque eius verba propius ad fontis vocabula accedere mirum non est. et invenimus simillimam Eutropii verbis iuncturam *invidens Traiani gloriae*, cum alia mutata et variata sint, id quod scriptores antiquos cum fontem exscriberent, plerumque studuisse scimus.[2]) Eutropium autem

1) Saeculi VII scripturam Foersterus (Wien. St. 1 [1879] p. 305) ex versu uno et dimidio, quem depictum habuit, se agnosse dicit. cfr. App. II, p. 63.

2) Qua de re pauca inveniuntur apud Hermannum Peter, Geschichtl. Literatur über die Kaiserzeit II, Berlin 1897, p. 135. 258 sqq. 263; Wahrheit und Kunst, Leipzig 1911, p. 426. 437. impr. 432: in rhetorum scholis id docebatur, cfr. Sen. rhet. contr. IV, praef. 7: *quotiens velles eandem rem et quamdiu velles diceret, aliis totiens figuris aliis tractationibus.* Cic. pro Arch. 8, 18 *eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis.* exempla sunt permulta velut in ipsis capitibus 14 et 20 Festi, quorum verba supra comparavi. conferendi etiam loci Ammiani Marcellini, ubi quae iam antea rettulit denuo narrat, velut XXIII 4, 15 (304, 10) *Et si emissa lentius arcu invalido — [arcus] ictu enim rapidiore extinguitur — haeserit usquam* (scil. sa-

hoc ipso loco proprio stilo scripsisse eo certum est, quod clausulis ut dixi totum caput distinxit.[1]) quin etiam ipsa verba *Traiani gloriae invidens* clausulam efficiunt. fieri autem non poterat, ut numeri i. e. universus uniuscuiusque scriptoris in lingua rhythmus, de fonte promerentur. natura enim numerorum obstat (cfr. s. p. 11 a. 4).

Conferas etiam haec verba Festi in capite 22 (18, 23) *Aurelius Alexander quasi fato quodam in exitium Persicae gentis renatus iuvenis admodum Romani gubernacula suscepit imperii. Persarum regem gloriose vicit. hic Alexander scriniorum magistrum habuit Ulpianum iuris consultorem. de Persis Romae pompa spectabili triumphavit. sub Gordiano* etc. — cum iis quae scripsit Eutropius VIII 23 (148, 26): *Successit huic* (scil. Heliogabalo) *Aurelius Alexander ab exercitu Caesar, a senatu Augustus nominatus, iuvenis admodum, susceptoque adversus Persas bello Xerxen eorum regem gloriosissime vicit. militarem disciplinam severissime rexit. quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Adsessorem habuit vel scrinii magistrum Ulpianum iuris conditorem. Romae quoque favorabilis fuit. periit in Gallia* . . . etc. videsne Festum brevius sed cum ornatu verborum narrare ex ordine eadem, quae apud Eutropium legimus, at commemorare Alexandri triumphum omissum ab Eutropio?[2]) sed observantes nos conexum sententiarum ille de Ulpiano locus offendit, qui ordinem interrumpat. nonne melius erat narrare res gestas in Perside, tum triumphum de Persis, sicut apud Script. Historiae Augustae videmus? denique

---

gitta), *tenaciter cremat aquisque conspersa acriores excitat aestus incendiorum nec remedio ullo quam superiacto pulvere consopitur.* — (*arcus ictu* V; Clarkius secl. *arcus* recte; *ictu* de motu celeri dictum est ut XVIII 6, 12 (147, 4) *cum ego rapido ictu transirem;* XXII 8, 17 (265, 5) *fluvii in mare ictu rapido decurrentes* et alibi) — et XXIII 9, 37 (317, 9) *quo inlitum telum, si emissum lentius laxiore arcu — nam ictu extinguitur rapido — haeserit usquam, tenaciter cremat, et si aqua voluerit obruere quisquam, aestus excitat acriores incendiorum, nec remedio ullo quam ictu pulveris consopitur.* hos duos locos inter se cohaerere manifestum est. videmus cum verborum ordinem esse mutatum, tum hic illic figuras orationis variatas, velut *aquisque conspersa* ex *si aqua voluerit obruere quisquam; superiacto pulvere* ex *ictu pulveris.* cfr. H. Hagendahl l. c. (s. p. 22,2), p. 99 sqq.

Marcus Galdi in libro, qui L'Epitome nella letteratura latina inscribitur (Napoli 1922), de quo me monuit E. Bickermann, nonnullis locis huiuscemodi res attigit. de quo opere conferatur, quod iudicavit Otto Rossbach, BphW. 43 (1923), c. 493. Marcus Galdi cum quae viri docti unaquaque de re scripserint, bene noverit et apte exposuerit, interdum textum scriptorum ipsum parum examinasse mihi videtur. idem quibusdam minoris momenti locis offendit in libro illo doctissimo Hermanni Peter, qui Die geschichtliche Literatur etc. inscribitur. cfr. etiam A. B. Cook, Unconscious Iterations, Class. Rev. 16 (1902), p. 146 et 256; impr. 155.

1) Sicut proprium genus scribendi clausulis distinctum agnoscimus in epilogo Eutropi X 18, 3 (182, 7) *quia autem ad inclitos principes venerandósque perventum est* ⏊ ⏑ ⏊ ⏊ ⏑ ⏊, *interim modum dabimus* ⏊ ⏑ ⏊ ⏑⏑ ⏑ *nam reliqua stilo maióre dicenda sunt* ⏊ ⏑ ⏊ ⏊ ⏑ ⏊ *quae nunc non tam praétermittimus* – – – ⏑ ⏓ *quam ad maiorem scribendi diligentiám reservamus* ⏊ ⏑ ⏊ ⏊ –.

2) Triumphum referri videmus apud SHA XVIII Alex. Sev. 55 (p. 295, 3) *magno igitur apparatu inde in Persas profectus Artaxerxen regem potentissimum vicit* . . . et postea in v. 18: *post hoc Romam venit triumphoque pulcherrimo acto apud senatum primum haec verba fecit* . . .

licebat adiungere illa de Ulpiano verba. sin autem Festum Eutropii libros exscripsisse existimamus, optime res explicatur. excerpsit Festus Eutropii de Alexandro Severo caput; in fine ex fonte altero, quem Scriptor Historiae Augustae secutus est, id, quod apud Eutropium desideravit, minus apte adiunxit.[1]) animadvertendae sunt etiam differentiae *gloriosissime* > *gloriose; scrinii* > *scriniorum; conditorem* > *consultorem,* quae res ipsa, numerum dico variatum synonymorumque copiositatem, saepius fluxisse librum de libro significat, ne afferam ea quae ad verbum consentiunt.

TRACTANTUR EUTR. VIII 3, FEST. 14 ET 20, QUIBUS MOMMSENUS ARGUMENTO USUS EST: DUOS FONTES FESTUM HABUISSE DEMONSTRATUR

Quae cum Festum ex Eutropio ipso hausisse ut existimemus nobis suadeant, quid de argumentis Mommseni ceterorumque iudicandum sit spectemus. et adeamus maximam difficultatem, quid de iis, quae plura quam Eutropius refert Festus, iudicandum sit. amplificatum enim esse Festi textum videmus hisce locis, qui sunt in capitibus supra in p. 25 comparatis. nec desunt alii in ceteris capitibus inde a capite 19 vel potius 20 usque ad 25, qui utrum ex Eutropio fluxerint necne, in quaestione est, sed hisce locis facilius planiusque res explicari potest. hamis inclusi quae apud Festum solum leguntur: 1) c. 14 ⌜*ad extremum sub Traiano principe regi maioris Armeniae diadema sublatum est*⌝ *et per Traianum A. M. A. provinciae factae sunt* et in eodem capite paulo infra: 2) *sed Hadrianus* ⌜*qui successit Traiano*⌝ *invidens Traiani gloriae* . . . et in capite vicesimo: 3) *Traianus,* ⌜*qui post Augustum Romanae rei publicae movit lacertos*[2])⌝, *Armeniam recepit a Parthis,* ⌜*sublato diademate Armeniae maioris regnum ademit*⌝. *Albanis* etc. his locis omnibus mirum in modum repeti nomina Traiani et Armeniae, quae altero loco superflua sint, conspicuum est. accedit quod occupatio Armeniae in capite vicesimo bis narratur, primum isdem verbis atque ab Eutropio: *Armeniam recepit a Parthis,* iterum verbis quae fere congruunt cum capitis decimi quarti: *Armeniae maioris regnum ademit.* de regno Parthamasiri, id est de Armenia maiore, quae postea in provinciae formam redacta est[3]), et hic et illic agitur. iterationes nominum ita effectas esse videmus, ut nomen primum in parte ea positum sit, quae cum Eutropio congruit, iterum iis in verbis, quae desunt ne vestigiis quidem repertis apud Eutropium, vel vice versa. in unum igitur redacta sunt, quae antea quoquo modo dirempta essent. id tribus modis fieri poterat: aut ex diversis locis eiusdem

1) Iuncturam sententiarum hic turbatam esse vidit etiam Carolus Wagener, Phil. 45 (1886), p. 539. sed cum persuasum haberet Eutropium a Festo non esse exscriptum, primo verba de Ulpiano eicienda esse censuit, tum ordinem sententiarum mutari maluit. cfr. R. Jacobi, De Festi breviarii fontibus, Bonn 1874, p. 50 adn.

2) A Festo ipso addita, secundum Flori verba figurata; vide supra p. 25.

3) Cfr. Mommsen, Röm. Geschichte V, p. 399.

operis[1]) aut ex diversis operibus excerpta componebantur aut in excerptum quoddam is qui exscripsit, de suo inserebat inepte nonnulla. inculcasse de suo Festum in exemplorum supra allatorum secundo manifestum est. Armeniae vero occupatio ita repetitur, ut posteriore loco *maioris* vocabulum addatur, quod cur priore loco omissum sit, si ex uno eodemque fonte uterque fluxerit, non intellego. efficitur non eiusdem operis sed diversorum fontium excerpta in reliquis exemplis duobus male coartata esse. apertum igitur mihi videtur esse his locis ea, quae apud Eutropium desideramus, ex altero quodam fonte inserta esse in textum Eutropi simillimum a Festo, qui tot conglutinationes velare non valuit.

Nusquam apud Festum hoc modo verba cum alia tunc nomina personarum gentium terrarum aspere concurrentia invenimus. iam aliter res se habet in nomine Aurelii Alexandri intra paucos versus in capite vicesimo altero repetito, quem locum supra p. 29 exscripsi: *Aurelius Alexander* . . . post tres versus: *Hic Alexander* . . . nomina enim adiuncto pronomine demonstrativo repetita saepius invenies[2]) et apud alios ut Ammianum Marcellinum XIV 1, 3 (2, 1) *Clematii* . . *mors*, deinde v. 7 *idem Clematius;* XIV 5, 8 (11, 18) *Paulus*, postea v. 23 *eundem* . . *Paulum* et apud Festum velut in c. 16 (15, 9):

Gn. Pompeius expertae felicitatis (cum non p. expertam felicitati E*) ad Mithridaticum bellum missus Mithridaten in Armenia minore nocturno (noctu* Eb*) adgressus proelio superavit, caesis duobus et quadraginta milibus hostium castra eius invasit. Mithridates cum uxore et duobus comitibus in Bosporos fugit, ibi desperatione rerum suarum venenum hausit et cum vis veneni parum ageret, a milite (parum esset acer (p. acerta* E*) milite* b*) suo, ut ferro percuteretur, impetravit.*

Pompeius auxiliatorem (auxiliarē b*) Mithridatis Tigranen, Armeniorum regem, persecutus est: ille ei se oblato diademate (se ei* E*; se oblato d. ei* b*) apud Artaxata dedidit (reddidit* Eb*). receptae ab eo sunt Mesopotamia, Syriae et aliquanta pars Phoenices; atque intra Armeniam maiorem regnare permissus est.*

Idem Pompeius Bosporianis et Colchis (collegis Eb*) Aristarchum regem inposuit, cum Albanis conflixit, Orhode Albanorum regi ter victo pacem dedit, Hiberiam cum Artace rege in deditionem accepit, Saracenos et Arabas vicit. Iudaea capta Hierosolymam obtinuit, cum Persis foedus icit (eiecit* GP, *iecit* EB, *fecit* W1 b*). rediens apud Antiochiam Daphnensem lucum (locum* B*) delectatus loci amoenitate et aquarum abundantia, addito nemore consecravit.*[3])

adhibuerit quis locum Festi in capite vicesimo primo (18, 17) *Parthos strenue vicit, Adiabenos delevit, Arabas interiores obtinuit et in Arabia*

1) Velut Fest. 22 (18, 23) < Eutr. VIII 23 (148, 26); vide supra p. 29.

2) Cfr. Fr. Leo, Die griech.-röm. Biographie, Leipzig 1901, p. 309, qui hoc dicendi genus rectissimo vocabulo nominavit „Notizenstil“. at tamen etiam loco supra exscripto repetitio nominis, si fons fuerit Eutropi opus, ex ratione quam adhibuit Festus componendi excerpta facilius et planius explicetur, quod infra p. 41 suscepi.

3) Verum etiam hoc loco, quem totum ut mihi infra sit adiumento exscripsi, nomen iteratum ex adhibito Eutropii breviario potest explicari. comparatis enim Eutr. VI capitibus 12, 13, 14 et Festi capite ibi apud Festum nomen iteratum esse videmus, ubi Eutropi novum caput, et id nomine Pompei in initio vel certe in prima sententia repetito orditur: c. 13 in. *Tigrani deinde Pompeius bellum intulit* = Festus: *Pomp. auxiliatorem Mithridatis Tigranem* etc. — Eutr. c. 14 in. *Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit* = Festus: *idem Pomp. . . cum Albanis conflixit.* cfr. infra p. 41 et 44.

provinciam fecit. huic cognomina ex victoriis quaesita sunt: nam Adiabenicus Parthicus Arabicus est cognominatus. quamquam eo differt locus a ceteris, quod nomen gentis cum terrae nomine comparatur. sin autem Eutropi verba perlegimus, etiam hic res in aperto est: VIII 18, 4 (146, 28) *Parthos vicit et Arabas interiores et Azabenos*[1]) (Ἀδιαβηνῶν Paean.): *Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret: idcirco Parthicus Arabicus Azabenicus* (Ἀδιαβηνικός Paean.) *dictus est.*[2]) cur non posuit illud *ibi* etiam Festus? sunt vero plana omnia, si a Festo Eutropium excerptum iudicamus. qui cum componeret mediam illam sententiam anguste compressit: *in Arabia provinciam fecit* sicut Paeanius transfiguravit: ὥστε τὴν μὲν Ἀραβίαν ἐπαρχίαν καταστήσεσθαι . .[3]) denique ordinem verborum mutavit, quo factum est, ut illud *in Arabia* supervacaneum esse videatur.[4])

1) De orthographia cfr. C. Wagener, Phil. 44 (1885), p. 302.

2) Cfr. Vict. Caes. 20, 14 sqq. (99, 12 P.) *ut . . auxerit . . imperium subacto Persarum rege nomine Aggaro. neque minus Arabas, simul adortus ut est, in dicionem redegit provinciae modo. Adiabena quoque, ni terrarum macies despectaretur, in tributarios concessisset. ob haec tanta Arabicum, Adiabenicum et Parthici cognomento patres dixere.* ex quibus fluxerunt SHA X Sev. 18, 1 (150, 5); cfr. H. Dessau, Hermes 24 (1889), p. 363; E. Hohl, BursJber. 200 (1924), p. 200; 171 (1915), p. 115, 1; postremo O. Th. Schulz, Gnomon 6 (1930), p. 605.

3) Etiam alibi metaphrasis Paeanii cum Festi verbis quodam modo congruit, velut Eutropii verba VII 14, 4 (124, 16) *Armeniam Parthi sustulerunt legionesque Romanas sub iugum miserunt* vertit καὶ Πέρσαις (saepius variatur Persarum et Parthorum nomen) Ἀρμενία προσεχώρησε. καὶ ὅλως ἐν αἰσχύνῃ τὰ Ῥωμαίων. quae Festus sic narrat c. 20 (17, 21) *Duae tunc Romanae legiones sub iugum a Persis missae extremo dedecore Romani exercitus sacramenta foedarunt.* numerus legionum a Parthis sub iugum missarum rectus quidem (vide Mommsen, Röm. Gesch. V 389; Tac. ann. XV, c. 10) a Suetonio (Nero c. 39) *ignominia ad orientem legionibus in Armenia sub iugum missis* (cfr. Orosius VII 7, 12) non memoratur, aliunde eum sumpserat Festus. ceterum falso Arthurus Cohn, Quibus ex fontibus Aur. Victoris XI capp. priora fluxerint, Berlin 1884, p. 65 hac ex re quod Festus *extremum dedecus* et verbum *amisit* (finis enim sententiae, quae antecedit eam quam supra exscripsi hic est: *amisit Armeniam* scil. Nero) adhibuit, quae iterum occurrunt in Suetonii capitibus 39 et 40, ex communi fonte haec de Nerone apud Festum et Eutropium fluxisse dicit, cum ex Eutropio sumi non potuerint. immo non est, cur miremur, quod homo Romanus quique orbem imperii Romani incoleret ut Festi Paeaniique Neronem ob dedecus illud admissum vituperabant quodque Festus Paeaniusque ultro idem fere expresserunt. nec ex uno vocabulo et tam vili *amisit* fontem agnosci posse quis est quin neget.

De Persarum Parthorumque nominibus variatis cfr. VI 18, 2 (104, 14) Eutr. *Persas;* Paean. Πάρθους — VII 5, 2 (116, 8) Eutr. *Parthis;* Paean. Περσῶν saepius (Duncker l. supra p. 9,4 c. p. 20). non recte hac de re iudicavit Ericus Dannhäuser, Untersuchungen zur Geschichte des Kaisers Probus, Jena 1909, p. 68, qui in vita Probi SHA XXVIII 17, 4 (216, 4) minus apte nomen Parthorum esse adhibitum, quorum regnum eo tempore non iam fuisset, dicit. quod vero insequenti capite 18 recte nomen Persarum occurrat, fontes diversos indicari. immo nomina sine ulla differentia a scriptoribus huius aevi usurpabantur. aliis iam de causis Ernestus Hohl (Klio 11 [1911], p. 198) aliter de his in vita Probi locis iudicaverat. cfr. Th. Opitz, Act. soc. phil. Lips. II 1874, p. 219 adn. 27; Alfredus Klotz, Quellen Ammians i. d. Darstellung von Julians Perserzug, Rh. Mus. 71 (1916), p. 476; C. Wagener, Phil. 42 (1883), p. 517; 44 (1885), p. 308. 343; C. Schrader, JclPh. 129 (1884), p. 216.

4) Quae praeterea variavit vide p. 26,4 et 50,3.

TRACTATUR ENUMERATIO GENTIUM, QUAM PRAEBENT EUTROPIUS FESTUS HIERONYMUS: TEXTUM EUTROPI INTERPOLATUM ESSE DEMONSTRATUR

Iam ad enumerationem gentium, quas Traianus in dicionem populi Romani redegit, transeo.[1]) illud *et Colchorum* non ita bene in Eutropii textu fini totius seriei adiunctum esse confiteor.[2]) sed nil obstat, quominus Festus ipse meliorem ordinem impetrarit, quoniam geographicam scientiam iam eo professus est, quod priorem libelli partem, qua provincias imperii Romani earumque historiam enarravit, geographica ratione disposuit. sed desunt haec ipsa vocabula *et Colchorum* apud Paeanium. quamquam Paeanius non ad verbum Eutropium transferre in animo habuit, nonnulla omisit, adiunxit pauca cum alia tum ea, quae res Romanas, nomina magistratuum etc. Graecis hominibus explicarent nec raro narrationes Eutropii confusas melius disposuit. sed nusquam istiusmodi exempla collecta omnia et tractata inveni. quantum video, nonnisi ad textum Eutropii nonnullis locis restituendum ratione sola philologa adhibitae sunt differentiae quae sunt inter Paeanium et Eutropium.[3]) sunt enim omissa neglegenter verba a Paeanio, cum transferret Eutropii opus. velut quae Eutropius narrat de operibus a Domitiano Romae perfectis VII 23, 5 (134, 16) *Romae quoque multa opera fecit, in his Capitolium et Forum transitorium, Divorum porticus, Iseum ac Serapeum et Stadium* sic refert Paeanius καὶ τὸ Καπετώλιον καὶ τὴν παροδικὴν ἀγορὰν καὶ τὸ Ἴσιον καὶ τὸ Σαράπιον καὶ τὸ Στάδιον ᾠκοδόμησέ τε καὶ κατεκόσμησε. omisit igitur Divorum porticum[4]) neglegenter. sed loco de quo agitur

1) Quomodo in sermonem proprium ea transfiguravisset Festus, supra demonstravi p. 26 adn. 4.

2) Boissevainus in editione Cassii Dionis tom. III, p. 208 adn. ad v. 22 illud *et Colchorum* ante *et Arabum* reponi vult, quod recte refutavit A. G. Roos, Stud. Arrianea, p. 43, adn. 156.

3) R. Duncker, De Paeanio Eutropii interprete, Progr. Greiffenberg 1880; Ern. Schulze, De Paeanio Eutropii interprete, Phil. 29 (1870), p. 285.

4) Cfr. Hieron. Abr. 2105 (p. 191, 1 Helm) *multa opera Romae facta, in quis Capitolium, Forum transitorium, Divorum porticus, Isium ac Serapium, Stadium, horrea piperataria* etc. quae partim ex Eutropio sumpsit partim ex Chronographi anni 354 qui dicitur chronicis urbis Romae (Chron. min. I ed. Mommsen, p. 146, 14): *Hoc imperatore multae operae publicae fabricatae sunt: atria VII horrea piperataria . . . Divorum Iseum et Serapeum Minervam Calcidicam* etc. cfr. Mommsen, Quellen des Hieronymus, p. 681. 693 = Ges. Schr. VII, p. 619. 632. Eutropius confudit Suetonium Dom. 5 *Novam autem excitavit aedem in Capitolio Custodi Iovi et forum, quod nunc Nervae vocatur, item Flaviae templum gentis et Stadium et Odium et naumachiam* cum Chronographo; cfr. Mommsen, Über den Chronographen vom J. 354, p. 652 adn. 40 = Ges. Schr. VII, p. 572 adn. 9. contra dicit Arthurus Cohn l. c. (s. p. 14,4) p. 39 adn. 37, nec quae referuntur Eutr. VII 15, 2 (126, 2) *aedificavit Romae thermas quae antea Neronianae dictae nunc Alexandrianae appellantur* sicut Mommsenus proposuit, ex Chronico urbano (cfr. Über den Chronogr., p. 647, 30 = Ges. Schr. VII, p. 576 adn. 4: *Et Thermae Alexandrinae dedicatae sunt*, Chron. min. I, p. 147, 25), sed ex communi fonte Eutropii et Scriptoris Hist. Augustae XVIII Alex. Sev. 25, 3 (269, 18) *Opera veterum principum instauravit, ipse nova multa constituit, in his*

Paeanium verba *et Colchorum* apud Eutropium non vidisse demonstrari posse puto. Hieronymus enim in Chronico, quod decem annis post Eutropi libros anno fere 380 conscriptum esse constat, Abr. 2118 (p. 194, 5 Helm) haec scribit: *Traianus victo rege Decibalo Daciam fecit provinciam: Hiberos Sauromatas — Osroënos Arabas Bosphoranos Colchos — in fidem accepit, Seleuciam Ctesiphontem Babylonem occupavit ac tenuit. in mari Rubro classem instituit, ut per eam Indiae fines vastaret.* apertum est ab Hieronymo hoc loco Eutropii verba cum Rufi Festi esse contaminata. enumerat enim primo *Hiberos et Sauromatas* ex Eutropio, postea *Osroënos Arabas* et *Bosporanos Colchos* eadem qua Festus serie, praeterquam quod *Osroënos Arabas* priores posuit, *in fidem accepit* congruunt cum Eutropio. *Seleuciam tenuit* ex Festo, quae restant ex Eutropio sumpsit. vix hic Hieronymus Festi verba raro adhibita cum Eutropii quem plerumque sequitur[1]), miscuerit, si omnino consenserint Eutropius

---

thermas nominis sui iuxta eas quae Neronianae fuerunt aqua inducta quae Alexandriana nunc dicitur sumpta esse neque quae loco s. c. Eutropii VII 23, 5 narrantur et desiderantur apud Suetonium, ex chronico sed ex Suetonii aucti qui dicitur vita Domitiani. at quae apud SHA videmus, confusa esse videntur. thermae Neronis in campo Martio sitae inter Pantheon (antea thermis Agrippae acclinatum) et plateam quae hodie Navona dicitur, per Alexandrum Severum restitutae et commutatae sunt, nomen Neronis paulo post iis ademptum est. praeterea Alexander Aquam Alexandrinam exstruxit, quae prope portam Praenestinam (hodie Maggiore) urbem intrabat. quae porta cum maxime absit a campo Martio, num aquaeductus ille ad thermas Neronianas duxerit, dubito, praesertim cum qui aquam ad thermas Agrippae proxime Neronianas sitas adducebat aquaeductus, Aqua Virgo quae dicitur, ex alia parte, in septentrione Pincium montem superans, olim in urbem perductus sit. neque apte igitur apud Scriptorem Hist. Aug. legimus *aqua quae nunc Alexandriana dicitur*, cum illud *nunc* nonnisi nomini thermarum Neroniarum mutato conveniat, neque recte de aquaeductu narrationi verba de thermis adiuncta esse putaverim, quod ut faceret scriptor nomine eodem et thermis et aquaeductu imposito commotus esse videtur. cfr. Richter, Topographie Roms, p. 245 et 321. simile de hoc loco sentire video Alfredum von Domaszewski, Die Topographie Roms bei den SHA (Sber. Heid. Ak. 1916, 7), p. 8. is verba de thermis Neronianis ex Eutropii libro fluxisse, quae cum insereret textui suo Scriptorem Hist. Aug. etiam malum illud *iuxta* posuisse censet quod quoniam idem aedificium fuerint Neronianae et Alexandrianae, non convenire. aquam Alexandrinam fuisse comprobari ex Polemio Silvio Chron. min. I, p. 545 et 546: *Alexandrina inventa perductaque est ab Alexandro.* cfr. K. Hönn, Quellenunters. z. d. Viten des Heliog. u. des Sev. Alex., Leipzig 1911, qui non recte dicit p. 53: „Sie diente, wie auch aus unserer Stelle hervorgeht, zum größten Teile der Wasserlieferung an die A. Thermen": nonnisi apud SHA aquaeductus cum thermis coniunctus est. caute igitur hunc apud SHA locum, quo cognoscatur fons Eutropii, adhibuerit quis, praesertim cum Eutr. melius res narraverit. altero loco cur negemus adhibitum esse chronicon urbanum, quod eadem serie ea ipsa nomina praebet quae addita sunt in Eutropio non video. aliter R. Helm, Rh. Mus. 76 (1927), p. 280, sed cfr. infra App. I, p. 61.

1) Mommsen, Quellen des Hier. p. 672 = Ges. Schr. VII, p. 609; tria tantum vel quattuor exempla habet, ubi Festum ab Hieronymo exscriptum esse contendit (l. c. p. 673 = Ges. Schr. VII, p. 610). de quo agitur locum sane neglexit (cfr. etiam infra p. 41 sq.). ex communi fonte verba in Hieronymi chronicis cum Festi congruentia fluxisse certis argumentis non allatis existimant Alfredus Schöne, Weltchronik des Eusebius, Berlin 1900, p. 219 sq., imprimis 222 et 232 adn. atque F. Rühl, Literar.

et Festus. immo sumpsit e Festi libello ea quae deerant apud Eutropium, id est nomen *Colchorum.*[1]) postea interpolator sive ex Hieronymo sive ex altero fonte textui Eutropii adiunxit *et Colchorum*, ita ut in extremo totius seriei minus apte exstare non miremur.[2])

QUOMODO HIERONYMUS FONTIBUS USUS SIT

Quae ut satis probentur, qua ratione Hieronymus fontibus suis usus sit, breviter perstringam. Hieronymus enim cum chronica Eusebii Latine exprimeret, nonnulla textu Eusebii inseruit, quae cum diversis de fontibus deprompta erant, tum ex libris Eutropi libelloque Festi. nunc loci tractandi sunt, quibus ab Hieronymo Festum adhibitum esse dixit Mommsenus (cfr. p. 34 adn. 1) simulque comparandus Eutropi textus.

Zentralbl. 1892, c. 5/6. nuper Rudolfus Helm (Rh. Mus. 76 [1927], p. 138 sqq.) Hieronymum ex communi fonte omnia hausisse demonstrabat, quod refutabo infra p. 54 sqq.

1) Ut hoc loco Paeanius rectum servasse videtur, ita alibi velut in libri VII capite 10, 3 (120, 5): *Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit* (Augustus), *ut reges ⌜populi Rom. amici⌝ in honorem eius conderent civitates, quas Caesareas nominarent ⌜sicut in Mauretania a rege Iuba et in Palaestina quae nunc urbs est clarissima⌝*. hamis inclusa omisit Paeanius. verba *sicut — clarissima* desunt etiam apud Suetonium Aug. 60: *Reges amici atque socii et singuli in suo quisque regno Caesareas urbes condiderunt et cuncti simul* . . etc. cuius opera ipsa aut librum alterius scriptoris qui Suetonium usurpaverat fontes Eutropio fuisse apertum est. qua de causa haec verba spuria esse censeo, quamquam Wladimirus Pirogoff (De Eutropii breviarii indole ac fontibus, Berlin 1873, p. 10, 6) verba de Caesarea Palaestinensi, quam tum urbem clarissimam esse legimus, Eutropio ipsi tribuenda dicit, cuius avunculus Acacius hac in urbe egerit. haec vero satis diiudicari non possunt. sed nihil obstat, quominus interpolator Caesaream Palaestinensen urbem clarissimam nominaverit, quam per saecula viguisse notum est (cfr. PW III, col. 1293 sqq.), cum Caesarea Mauretaniae circa annum 373 (paulo postquam Eutropius breviarium conscripsit, cfr. infra p. 58) in tumultu per Firmum excitato flammis exusta sit (E. Stein, Gesch. des spätrömischen Reiches, Wien 1928, p. 276; cfr. Amm. Marc. XXIX 5, 18 (510, 23) *urbem opulentam quondam et nobilem*). contra dicit certo argumento non nisus Victor Gardthausen, JclPh. 107 (1873), p. 263 sq. et Carolus Wagener, Phil. 44 (1885), p. 329, qui una cum Droyseno (in app. crit.) molestiora illa verba *a rege Iuba* eicienda esse censet.

2) Mommsenus in praefatione editionis Eutropianae (Mon. Germ. Histor. auct. antiqu. II, Berlin 1879), p. XXVI nomen Sauromatarum ex nomine regis Bosporanorum Sauromatae, cuius ad principem Traianum legationem Plinius in epistulis ad Traianum 63—65 (p. 301 Kuk.) memoravit, corruptum esse dicit. sed conferas Ampelii c. 47; in fine haec narrantur: *Totumque orbem perpacavit, exceptis Indis Parthis Sarmatis Scythis Dacis, quod eos fortuna Traiani principis triumphis reservavit*, quaeque Alexander Enmann disseruit in commentatione, quae Eine Geschichte der römischen Kaiser inscribitur (Phil. Suppl. 4 [1884], p. 495 sqq. impr. 496 adn.).

Similiter ad textum Eutropii IX 8, 1 (154, 3) *nam iuvenis in Gallia et Illyrico multa strenue fecit* (Gallienus), *occiso apud Mursam Ingenuo qui purpuram sumpserat, et Trebelliano* — illud *et Treb.*, quod deest apud Paeanium et Orosium, ex Historia Augusta per interpolatorem additum esse demonstravit Ernestus Hohl, Klio 14 (1915), p. 380 sqq.; BursJber. 171 (1915), p. 122. contra retinet Andreas Alföldi, Z. f. Num. 38 (1928), p. 167. sed Ernestum Hohl verum vidisse constat. cur hercle illud *qui purpuram sumpserat* de solo Ingenuo diceretur, quamquam et Trebellianus vel potius Regalianus imperium vindicaverat.

Hier. Abr. 2257 (217, 1)	Eutr. IX 2, 2 (150, 14)	R. F. 22 (19, 1)
Gordianus admodum adulescens *Parthorum natione superata* *cum victor reverteretur ad patriam, fraude Philippi praefecti praetorio haut longe a Romano solo interfectus est.*	*Gordianus admodum puer...* *proeliisque ingentibus Parthos adflixit. rediens haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi qui post eum imperavit.*	*Sub Gordiano acri ex iuventutis fiducia principe, rebellantes Parthi ingentibus proeliis contusi sunt. isque rediens victor de Perside, fraude Philippi qui praefectus praetorio eius erat, occisus est.*
Hier. Abr. 2264 (217, 26)		R. F. 11 (11, 9)
Filippus urbem nominis sui in Thracia construxit.		*Eumolpiadam quae nunc Philippopolis dicitur.*
Hier. Abr. 2282 (221, 10)	Eutr. IX 10 (154, 22)	R. F. 23 (19, 14)
Odenatus decurio Palmyrenus collecta agrestium manu *ita Persas cecidit,* *ut ad Ctesiphontem castra poneret.*	*In Oriente* *per Odenatum Persae* *victi sunt.* *defensa Syria, recepta Mesopotamia, usque ad Ctesiphontem Odenathus penetravit.*	*... nisi Odenathus decurio Palmyrenus conlecta Syrorum agrestium manu acriter restitisset et fusis aliquotiens Persis, non modo nostrum limitem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem ... penetrasset.*
Hier. Abr. 2289 (222, 15)	Eutr. IX 13, 2 (156, 20)	R. F. 24 (19, 18)
Zenobia *apud Immas haut longe ab Antiochia vincitur,* *quae occiso Odenato marito Orientis tenebat imperium.*	*Zenobiam quoque* *quae occiso Odenato marito Orientem tenebat haut longe ab Antiochia sine gravi proelio cepit.*	*Aureliani imperatoris gloriae Zenobia, Odenathi uxor accessit. ea enim post mortem mariti feminea dicione Orientis tenebat imperium. quam Aurelianus multis clibanariorum et sagittariorum milibus fretam apud Immas haut procul ab Antiochia vicit.*

Cum verba Hieronymi Abr. 2264 vix ex Festo fluxerint, sententia Abr. 2282 tota ex Festi breviario sumpta est Eutropio omnino neglecto.[1]) sed duobus reliquis locis verba Eutropii Festique confusa atque permixta esse videmus. etsi idem fere narratur et ab Eutropio et a Festo, tamen Festus solus altero loco illud *praefecti praetorio*, altero *apud Immas*[2])

1) Cfr. Alfred Schöne, Die Weltchronik des Eusebius, Berlin 1900, p. 219. 222; vid. infra p. 41 sq.

2) Immarum nomen praeterea exstat apud Iordanem Rom. 291 *Apud Hymmas vicino Antiochiae* (*Himmas* Laurent.) ex Festo (cfr. Mommsen in praef. Jord. p. XXVI) et apud Syncellum I, p. 721, 11 Αὐρηλιανός . . ἔρχεται μετὰ στρατιᾶς καὶ πλήσιον Ἀντιοχείας τῆς κατὰ Συρίαν ἐν Ἴμμαις καλουμένῳ χωρίῳ τοὺς μὲν Παλμυρηνοὺς διαφθείρει . . . nomen Immarum ut apud Hieronymum ita apud Syncellum e Festo fluxisse iam opinatus est J. Brunner, Vopiscus Lebensbeschreibungen (Untersuchung. z. röm. Kaisergesch. hrsg. von M. Büdinger), Lpz. 1868, p. 60. Emesam praebet Scriptor H. A. XXVI Aur. 25, 2 (168, 17) *Pugnatum est . . contra Zenobiam et Zabam eius socium apud Emessam magno certamine* ~ Zos. I 52. Immarum nomen cum Emesae

praebet, id quod causam fuisse, cur hisce locis Festi opus ad amplificanda verba Eutropi ab Hieronymo usurparetur, certum videtur esse. eadem ratione eademque de causa etiam loco de quo agebatur (s. p. 34), Eutropi Festique verba permixta esse apertum est.

FESTUS NOMINA GENTIUM EADEM RATIONE IN DESCRIPTIONE RERUM GESTARUM POMPEI ET TRAIANI MUTAVIT

Restat ut explicem, cur Festus pro nomine Sauromatarum nomen Colchorum posuerit. quae res non ita magni momenti est, cum saepius nomina fabulosa gentium ignotarum ultro mutata esse dixerim (cfr. infr. p. 65a. 1). huc accedit quod Festum rerum geographicarum non ignarum fuisse ex priore parte operis ratione geographica instituta apparet quodque gentes Sauromatarum vel Sarmatarum, quibus vixit Festus temporibus, ad fines Pannoniarum et Moesiarum agebant.[1]) neque alius harum rerum scriptor nos adiuvat, cum de his rebus a Traiano gestis fere nusquam quicquam nisi in breviariis memoriae traditum sit.

Sed Festus res a Pompeio in Asia gestas enarrans in capite 16 haec scripsit: (p. 15, 16) *Idem Pompeius Bosporianis et Colchis*[2]) *Aristarchum regem inposuit. cum Albanis conflixit . . . Hiberiam cum Artace rege in deditionem accepit, Saracenos et Arabas vicit.* eaedem igitur hic gentes, quae de quo agitur loco, praeter Saracenos memorantur. sed falso Bosporiani afferuntur, cum Colchis solis Aristarchum (v. p. 49 adn. 3) impositum esse constet.[3]) statim exstiterunt qui textum Festi corruptum dicerent inserendumque esse post *Bosporianis* verbum:

---

confusum esse censet Mommsenus apud Alfredum von Sallet, Fürsten von Palmyra, Berlin 1866, p. 47, Röm. Gesch. V 440, 1; aliter sentit Ludovicus Mendelssohn, ed. Zos. p. 36 ad v. 24.

1) Sarmati primo ad Tanaim fluvium versati paulatim in Daciam demigraverunt, cfr. K. Kretschmer PW 2. s. I 2542. de forma nominis Sauromatarum cfr. Kretschmer, l. c. et M. Rostovtzeff, Scythien und der Bosporus I, Berlin 1931, p. 101: „Es ist möglich, daß der Name (Sarmaten) mit dem Namen Sauromaten identisch ist und nur eine andere Transkription dieses Namens vorstellt". inde ab a. 230 Gothi regiones Bosporanas obtinuerunt (L. Schmidt, Gesch. d. deutschen Stämme I, Berlin 1910, p. 55), quos a. 376 Hunni expulerunt (L. Schmidt p. 112).

2) De Colchorum historia et natione cfr. Th. Reinach-A.Goetz, Mithradates Eupator, Leipzig 1895, p. 388 sq.

3) Cfr. Eutropius VI 14, 1 (100, 11) *Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit et eorum regem Oroden ter vicit. postremo per epistulas ac munera rogatus veniam ei ac pacem dedit. Hiberiae quoque regem Artacen vicit acie et in deditionem accepit. Armeniam . . Paphlagoniam . . .; Aristarchum Colchis regem inposuit. mox Ituraeos* (Πετραίοις Paean.) *et Arabas vicit . . . .*; cfr. Drumann-Groebe, Geschichte Roms IV, p. 478; Ituraei Libanum incolebant (cfr. PW IX 2377. 2379, 9). Petraei, quorum nomen pro Ituraeorum inseruit Paeanius, medii fere inter lacum Asphaltiten et mare Rubrum ad Petras caput Arabiae habitabant. quod et Paeanius et Rufius Festus nomen mutaverunt, temporibus saeculi quarti exeuntis non iam qui essent Ituraei gens tum perparva satis intellegebatur, cum aetate Pompei magnum regnum haberent (Drumann-Groebe IV, p. 462). etsi in Not. dign. Or. XXVIII 44, Oc. XXVI 16 (p. 60/178 Seeck) cohortes Ituraeorum, sagittarii Ituraei apud SHA XXVI Aurel. 11, 3 (157, 15) enumerantur, tamen Ituraeorum gentem his temporibus vix cuiquam

Pharnaci et.[1]) Appianum enim praebere Mithr. 114: καὶ συνενεχθεὶς ἐς μάχας . . . Κόλχοις τε καὶ Ἀλβανοῖς καὶ Ἴβηρσι καὶ Ἀρμενίοις καὶ Μήδοις καὶ Ἄραψι καὶ Ἰουδαίοις καὶ ἑτέροις ἔθνεσιν ἑῴοις, τὴν ἀρχὴν ὡρίσατο Ῥωμαίοις μέχρι Αἰγύπτου, et post nonnulla adiungere: τῶν δὲ εἰλημμένων ἐθνῶν τὰ μὲν . . . . τὰ δ'ἐς βασίλεια διεδίδου. Τιγράνει μὲν Ἀρμενίαν καὶ Φαρνάκῃ Βόσπορον καὶ Ἀριοβαρζάνῃ Καππαδοκίαν καὶ ὅσα προεῖπον ἕτερα. Ἀντιόχῳ . . . Σελεύκειαν ἐπέτρεψε . . . ἐποίει δὲ καὶ τετράρχας Γαλλογραικῶν μὲν . . . Δηιόταρον καὶ ἑτέρους, Παφλαγονίας δὲ Ἄτταλον καὶ Κόλχων Ἀρίσταρχον δυνάστην.[2]) sed hoc refutatur verbis Iordanis, qui cum haec narraret, Festi breviarium secutus est: Rom. 234 (30, 28 Mommsen) *Nam Bosporianis Colchisque Aristarchum regem Pompeius praeposuit.* textum igitur Festi sicut nos habemus legit. Festus aut duos locos fontis confudit, id quod verisimile esse non existimo. nam apud omnes scriptores Latinos, ex quibus qui fons fuerit Festi concludere possumus, Eutropium Florum[3]) Orosium[4]) Livii Periochas[5]) omissi sunt Bosporiani et Pharnaces in fidem accepti.[6]) aut ultro Festus Colchis Bosporianos amplificandi causa sicuti supra Bosporianis Colchos adiunxit.

---

notam fuisse putaverim. loco Historiae Aug. Alfredus v. Domaszewski, Die Geographie bei den SHA (Sber. Heidelb. Ak. 1915, 15), p. 20 Ituraeorum nomen a falsario ex Cic. Phil. 2, 112 sumptum esse censet, vix recte. Petraeorum et Saracenorum vocabula synonyma pro Arabum nomine sunt. cfr. Plut. Pomp. 41, qui hac in re describenda dicit: τῶν περὶ τὴν Πέτραν Ἀράβων et Amm. Marc. XXII 15, 2 (284, 11) = XXIII 6, 13 (312, 10) *Scenitas Arabas quos Saracenos posteritas appellavit.* itaque Festus etiam in capite 14, ubi easdem res attingit, solo Arabum nomine allato contentus erat: p. 14, 5 *Arabes et Iudaei in Palaestina victi sunt.* Festus utique loco supra in textu allato eadem ratione gentis nomen variasse videtur qua Sauromatarum nomen.

1) Tzschukkius: Ricardus Jacobi, De Festi breviarii fontibus, Bonn 1874, p. 40, 2.

2) De fontibus Appiani vix certum quicquam dici potest; cfr. Th. Reinach-A. Goetz, Mithradates Eupator, Leipzig 1895, p. 445 sq.; E. Schwartz, PW II 222 sqq.

3) Flor. I 40, 27 (99, 22 Roßb.) *Nam sub Orientem secutus Armenios, captis ipso capite gentis Artaxatis, supplicem iussit regnare Tigranen. at in septentrione Scythicum iter tamquam in mari stellis secutus Colchos cecidit, ignovit Hiberiae pepercit Albanis . . . nec non in meridiem verso agmine Libanum Syriae Damascumque transgressus per nemora illa odorata, per turis et balsami silvas Romana signa circumtulit. Arabes siquid imperaret praesto fuere.*

4) Oros. VI 8 (364, 16 Z.) *Oranti Tigrani veniam dedit; exercitum Horodis Albanorum regis praefectosque eius ter proelio vicit. postea epistulas Horodis et munera pro pace cum Albanis instauranda libenter accepit; Artacem regem Hiberiae bello fudit totamque Hiberiam in deditionem accepit. inde cum Armeniam Colchos Cappadociam et Syriam ordinatis rebus composuisset,* . . etc.

5) Liv. Per. 101 *Tigranen in deditionem accepit eique ademptis Syria Phoenice Cilicia regnum Armeniae restituit . . . Hiberos Albanosque . . . proelio vicit. praeterea fugam Mithridatis per Colchos Heniochosque et res ab eo in Bosporo gestas continet.* sed hic locus, ubi diligentius res perspicimus, nullius argumenti est, cum de gentibus bello victis, non de iis quae postea in fidem acceptae sunt, agatur — has enim in Periochis memoratas non video. apud Appianum gentes quibuscum conflixit Pompeius, bene dividuntur ab iis quas postea in deditionem accepit. scriptores Latini has duas enumerationes cuncti quantum video confuderunt et contraxerunt, quae res in aperto est apud Florum.

6) Neglexerunt etiam scriptores de viris illustribus quique eos secuti sunt: Vell. II

FESTUS NOMINA GENTIUM EX CATALOGO, QUALEM HABEMUS IN CHRONICIS HIPPOLYTI SUPPLEVIT

Quod qua ratione scriptor fecerit, ex iis quae de his gentibus nobis sunt tradita, fieri non potest ut satis explicetur. apud Pompeium Trogum prol. 37 haec leguntur: *Dictaeque in excessu regum Bosporanorum et Colchorum origines et res gestae.* nescio an hoc ex loco concludendum non sit has gentes ut ab aliis ita ex doctrina geographica a Rufio Festo[1]) coniunctas esse ob morum similitudines. ego Festum cum Sarmatas in planitie Parthisci domicilia habere sciret, ut nomen novum insereret, ex catalogo quodam nomen gentis alicuius quae prope Colchos habitaret, sumpsisse putaverim. qualem catalogum gentium habemus in chronico Alex. Chron. min. I; qua in tabula, cum gentes ordine geographico enumerentur[2]), p. 111 (Mommsen) chron. Alex. 198 haec leguntur: *Ultra Cappadocia in dextera Armenii et Birri et Birrani* (liber generationis praebet: *Hiberii Birrani*), *in leva autem Scythi et Colchi et Bosforani.*[3]) Colchi igitur et Bosporani hac in tabula, qua vetustior doctrina excepta est, iuxta memorantur. ceterum huiusmodi catalogos gentium rerum geographicarum mirabilium a scriptoribus huius aevi saepissime adhibitos esse putemus oportet.[4])

40, 1 *Penetratae cum victoria Media Albania Hiberia; deinde flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos Heniochosque et Achaeos, et oppressus auspiciis Pompei, insidiis filii Pharnacis Mithridates ultimus omnium iuris sui regum praeter Parthicos.*

De vir. ill. 77, 5 (69, 4) *Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad venenum compulit. deinde mira felicitate nunc in septentrionem Albanos Colchos Heniochos Caspios Hiberos, nunc in orientem Parthos Arabas atque Iudaeos cum magno sui terrore penetravit.* Cfr. H. Behrens, Unters. über d. anonyme Buch De vir. ill., Heidelberg 1923, p. 61 et 63.

1) Wladimirus Pirogoff, De Eutropii etc., p. 31 Rufium in capite sexto ad verba *cum Gallis gravissima bella populi Romani* (*P R habuit* P B b E) de suo geographica illa addidisse recte monet: (p. 8, 13) *Galli enim etiam eam partem Italiae in qua nunc Mediolanum est, usque ad Robiconem fluvium tenebant in tantum viribus freti, ut Romam ipsam bello peterent.*

2) Plane cognoscitur ex verbis, a quibus enumeratio gentium omnis incipit Chr. Alex. 191 (p. 110 M.) *Initiemus autem dicere de illas ignotas gentes ab oriente usque ad occiduum solis quomodo habitant.*

3) Ex antiquis Hippolyti (natus circ. a. 175 p. C.) chronicis haec fluxerunt: 232 p. 118 Bauer (Texte und Untersuchungen zur Geschichte d. altchristlichen Literatur XXIX 1906) Ἀρμένιοι καὶ Ἴβηρες καὶ Βηρανοί, εἰς δὲ τὰ εὐώνυμα μέρη Σκύθες καὶ Κόλχοι καὶ Βοσποpανοί. cfr. lib. gen. I Chron. Min. I p. 111, c. 226 et enumerationem gentium quae linguas suas habent, Chron. Min. I, p. 107: Chron. Alex. 167, ubi Sarmati post gentes Thraciae Bessos Dardanos ut accolae Pannoniarum Danuviique commemorantur. nescio sane an non ordo nominum omnibus locis recte servatus sit, cum altero loco exempli gratia p. 111, 226 (supra allato) Sanni post Colchos Bosporanos, altero p. 107, 167 inter Colchos Bosporanosque inserti afferantur. huiuscemodi in collocandis verbis differentias quae minoris sint momenti exstitisse vix negari posse videtur.

4) Wladimirus Pirogoff (De Eutropii breviarii a. u. c. indole ac fontibus, Berlin 1873, p. 46) catalogum mortes regum Romanorum referentem ab Eutropio exscrip-

CUR NOMINA IN DESCRIPTIONE RERUM GESTARUM POMPEI ET TRAIANI EADEM RATIONE MUTATA SINT

Sed quomodo fieri potuit, ut nomina in descriptione rerum gestarum et Pompei et Traiani eadem ratione a Festo mutarentur? Pompeius ac Traianus apud antiquos scriptores et oratores uno eodemque loco habebantur, cum in expeditionibus illis gloriosis, quas per Asias uterque suscepit, famam et gloriam Alexandri Magni adaequasse, immo superasse a Romanis existimarentur.[1]) et Rufius Festus ipse in enarrandis Traiani gestis addidit illud *post Alexandrum*, ita ut eum hunc quasi locum communem rhetorum, pro artis scientia, non ignorasse apertum sit. hac igitur causa Festum — qui non minus rhetor fuerit quam anonymus

---

tum esse, spatia quae inter urbem Romam et loca quaedam intercedant interdum prolata ex itinerario aliquo deprompta esse censet. cfr. Enmann l. c. (s. p. 15), p. 475; Ulricus Koehler, Qua ratione T. Livii annalibus usi sint historici Latini atque Graeci, Göttingen 1860, p. 38. etiam apud SHA huiusmodi gentium indices usurpatas esse vidit Alfredus v. Domaszewski, Die Geographie bei d. SHA (Sber. Heidelb. Ak. 1916, 15), p. 19, cui assentitur Guilelmus Reusch, Der historische Wert der Caracallavita in den SHA in: Klio, Beih. 24 (1931), p. 48.

1) Etiam apud alios horum temporum scriptores conferuntur Traianus et Alexander: Iulian. Caes. p. 335 D Τραϊανὸς δὲ παρὰ τὸν Ἀλέξανδρον ἔθει ὡς ἐκείνῳ συγκαθεδούμενος. Iulianus ipse imperator cum Marcum tum Alexandrum imitabatur. cfr. Amm. Marc. XVI 5, 4 (75, 24) *Hinc contingebat ut noctes ad officia divideret tripertita* (scil. Iulianus), *quietis et publicae rei et Musarum, quod factitasse Alexandrum legimus Magnum; sed multo hic fortius.* cfr. Paneg. II 8, 4 (96, 21) de Theodosio. sic imperatores Romanorum saepius cum Alexandro comparabantur (cfr. SHA XVIII Alex. Sev. 13, 2 (260, 20sq.) et alibi; Werner Hoffmann, Das literarische Porträt Alexanders d. Gr., Leipzig 1907). quaerendum est nonne cum imperatores ceteri tum Iulianus facta sua et civilia et bellica interdum cum studio secundum exempla Alexandri Traianique formaverint, quo multa in illa ingenti nec non temeraria quam Iulianus contra Persas suscepit expeditione explanari mihi videntur.

De Pompeio Alexandri imitatore apud Sallustium in historiis III fr. 88 M. haec tradita sunt: *Sed Pompeius a prima adulescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque eius quidem aemulus erat.* cfr. W. Keil, Vibius Maximus u. Florus, BphW. 1919, c. 1078; W. Hoffmann l. c., p. 81, 3; Plin. n. h. VII 26, 95 *Verum ad decus imperii Romani, non solum ad viri unius pertinet victoriam, Pompei Magni titulos omnes triumphosque hoc in loco nuncupari, aequato non modo Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam Herculis prope ac Liberi patris* (fons erat Varro, F. Münzer, Beitr. z. Quellenkritik d. Naturgeschichte d. Plinius, Berlin 1897, p. 283) cfr. VI 17, 51sq. quod Plinius Pompeium cum Libero id est Dionyso confert, etiam imitando Alexandri historiam effectum videtur esse. Alexandrum enim a Graecis post expeditionem Indicam pro Dionyso acceptum esse constat. qua ex re nova illa de expeditionibus Dionysi Indicis fabula orta est: Kern PW V 1039, 34sqq. cfr. Herm. 23 (1888), p. 77 no. 8, postremo A. D. Nock, Notes on Ruler-Cult I, JHS. 48 (1928), p. 21; impr. 30, adn. 48. cfr. Plut. Pomp. 2, 2; Iustinus Trogi 42, 3, 2 *Primusque humanorum post Herculem et Liberum, qui reges orientis fuisse traduntur, eam caeli plagam* (finitimam Colchis) *domuisse dicitur* (Iason) et cum alia Senecae tum de ben. I 13, 2 *Herculis Liberique vestigia sequens* (Alexander); W. Hoffmann l. c., p. 52. Drumann-Groebe, Geschichte Roms IV, Leipzig 1908, p. 551 (et 342). saeculo quarto Aurelius Victor Constantium cum Pompeio comparat Caes. 42, 22 (129, 9). cfr. etiam s. p. 1 et 2 et quos libros attulit A. Alföldi, Z. f. Num. 38 (1928), p. 198, 3.

ille Historiae Augustae scriptor — commotum esse putaverim, ut easdem gentes et a Traiano et a Pompeio victas et in fidem acceptas faceret.

Itaque demonstrasse mihi videor et nominum in Eutropii breviario ordinem interpolatione perturbatum esse nec nos ea re quod Festus nomen Colchorum omisso Sauromatarum profert impediri, quominus Eutropium a Festo adhibitum esse agnoscamus. quod si quis huc usque nondum persuasum habeat, graviora quae evoluturus sum argumenta exspectet.

3. QUA RATIONE FESTUS EXCERPTIS SUIS USUS SIT

TRACTATUR FESTI DE POMPEIO CAPUT: DE EUTROPIO FONTE FESTI

Quod supra p. 38 de Pharnace dixi non factam esse huius rei mentionem in fonte Festi, etiam eo firmatur, quod Eutropi narratio, in qua omissum esse Pharnacis regnum a Pompeio datum vidimus, nisi ipsa fuit fons, tamen artissime cum Festo cohaeret. cuius rei documentum cum iam supra p. 31 a. 3 attulerim nisus nomine Pompei ter repetito, aliud exstat locis his Eutropi Festi Hieronymi inter se comparatis:

Eutr. VI 14, 2 (100, 17)	R. F. 16 (15, 23)	Hier. Abr. 1949 (153, 11)
aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, quo lucus ibi spatiosior fieret, delectatus loci amoenitate et aquarum abundantia.	*rediens apud Antiochiam Daphnensem lucum, delectatus loci amoenitate et aquarum abundantia, addito nemore consecravit.*	*lucus Daphnensium iuxta Antiochiam a Pompeio Apollini consecratur.*
lucus ibi DS(G) *locus ibi* LO Pauli cod.; Paean. χωρίῳ sed postea τῶν τε πηγῶν καὶ τοῦ ἄλσους αὐτὸ θαυμάσας.	*Daphn. locum* B	desunt in Eusebii codice Armenico; ex Eutropi breviario fluxisse ea censet Mommsenus Ges. Schr. VII p. 625, sed amplificata ex memoriis rerum Antiochensium per Hieronymum. contra R. Helm Rh. Mus. 76 (1927), p. 273 sq.

his tribus tantum locis haec res narratur. et recte mihi quidem Wladimirus Pirogoff[1]) monere videtur, quod de donis a Pompeio Seleuciae[2]) et Daphnensibus datis, quae quidem nusquam alibi occurrant, copiosiora refert Eutropius, ea re plane explicari, quod Eutropius, quem Antiochiae egisse verisimillimum sit[3]), ipse haec ex rerum Antiochensium cognitione et scientia addiderit. quae si probantur, Rufium ea ex Eutropio sumpsisse concludendum est. neque satis diligenter Festus rem narrat, cum Pompeium Daphnensem lucum addito nemore consecrasse dicit. quem lucum

1) De Eutropii breviarii a. u. c. indole ac fontibus, Berlin 1873, p. 10.

2) Eutr. VI 14,2 (100, 16): *Seleuciam vicinam Antiochiae civitatem libertate donavit. quod regem Tigranem non recepisset.* haec vero etiam apud Strabonem XVI 2, 8; p. 751 memorantur: ἔρυμα δέ ἐστιν ἀξιόλογον . . . ἡ πόλις. διόπερ καὶ ἐλευθέραν αὐτὴν ἔκρινε Πομπήιος, ἀποκλείσας Τιγράνην, ita ut cautius agamus admoneamur.

3) Pirogoff l. c. p. 6/7; cfr. PW VI 1522; Seeck, Symm., p. CXXXII.

famosum vetustissimumque cum vix a Pompeio denuo consecratum esse putaverim[1]), in modum oratorum Festum veritatem excessisse malo. Hieronymum autem cum item lucum a Pompeio consecratum esse dicat neque omittat Festi additamentum verbis *iuxta Antiochiam* adpositis, hoc loco Festi libellum solum usurpasse censeo.[2])

Etiam ex altero capitis decimi sexti loco Eutropium fontem fuisse verisimile videtur. haec enim a Festo narrantur[3]):

Pompeius auxiliatorem Mithridatis[4]) *Tigranem Armeniorum regem persecutus est. ille se ei oblato diademate apud Artaxata dedidit. receptae ab eo sunt Mesopotamia Syriae et aliquanta pars Phoenices. atque inter Armeniam maiorem regnare permissus est.*[5])

idem describitur cap. 14 (14, 3):

Postea per Pompeium eadem loca (scil. Mesopotamia) *armis obtenta sunt. Syriae et Phoenice bello a Tigrane, Armeniorum rege, receptae sunt.*

et in cap. 3 (6, 21):

Armenia Minor, quam idem (Mithr.) *tenuerat, armis obtenta est,*[6]) *in Mesopotamiam Romanus pervenit exercitus* (scil. Luculli, cfr. c. 14 p. 14, 2). *cum Parthis foedus initum est* (a Pompeio, cfr. c. 16 p. 15, 22, ad quem etiam quae sequuntur spectant), *contra Carduenos*[7]) *ac Saracenos et Arabas bellatum est, Iudaea omnis victa est, Cilicia et Syriae in potestatem populi Rom. pervenerunt.*

has res Eutropius VI 13 (100, 5) hoc modo expressit:

Tigrani deinde Pompeius bellum intulit. ille se ei dedidit et in castra Pompei sexto decimo miliario ab Artaxata venit ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pom-

---

1) Cfr. PW IV 896 (Wissowa s. v. consecratio): „consecratio ist die rechtsgültige und dauernde Überweisung einer Sache oder Person aus dem Rechtsbereich des ius humanum in das des ius divinum.“ id quod cum de luco Daphnensi toto fecisse Pompeium dici non possit, ne ad nemus additum quidem convenit, quia ex iure Romano omnino non fieri poterat, ut consecratio in provinciali solo esset (Mommsen, Staatsrecht III, p. 734).

2) Sed cfr. Gustavus Reinhold, Das Geschichtswerk des Livius als Quelle späterer Historiker, Progr. Berlin 1898, p. 6: „Wie aber Festus seinen Bericht hätte schreiben können, wenn E. selbst seine Quelle gewesen, ist unerfindlich“. ille vero et hic et alibi textum accurate interpretatus non est.

3) Locum totum supra in p. 31 iam exscripsi cum apparatu critico.

4) De forma nominis cfr. Th. Reinach-A.Goetz, Mithr. Eupator, Leipzig 1895, p. 40, 2. 5) Cfr. Drumann-Groebe IV, p. 451.

6) Cfr. Eutr. VI 8, 3 (96, 14) *Armenia quoque minor quam tenebat eidem* (Mithr.) *sublata est*, quae leguntur inter res a Lucullo gestas.

7) Cardueni hoc loco nusquam apud scriptores Latinos memorantur. De Carduenes (vel Gordyenes, cfr. PW VII 1594), quae est regio meridiem versus Armeniae, occupatione nonnulla apud Graecos scriptores narrantur: Cass. Dio XXXVII 5, 4 (Drumann-Groebe IV, p. 458; 467 adn. 1); App. Mithr. 105 (Drumann-Groebe IV, p. 451) καὶ διήτησε τὸν μὲν υἱὸν (Τιγράνου) ἄρχειν τῆς Σωφηνῆς καὶ Γορδυηνῆς, αἳ νῦν ἄρα εἰσὶν Ἀρμενία βραχυτέρα. nomen Carduenes Appianus hic solus commemorat (Th. Reinach-A. Goetz, Mithr. Eupator, p. 391 adn. 1) falso ut videtur. nec recte Sophene et Carduene Minoris Armeniae regiones vocantur, quae in dextra Euphratis ripa sita sit (fines indicat A. Forbigerus, Handb. d. alten Geogr., Leipzig 1844, p. 301 adn. 84) confinis Ponto et Cappadociae. unde Festus nomen hauserit et quam Carduenes occupationem dixerit, quoniam et Luculli et Pompei legiones has regiones petierunt, satis diiudicari non potest. (an ex uberiore quadam Epit. Liviana?)

pei, in manibus ipsius conlocavit. quod ei Pompeius reposuit honorificeque eum habitum regni tamen parte multavit et grandi pecunia. adempta est ei Syria Phoenice Sophanene[1]*), sex milia praeterea talentorum argenti, quae populo Romano daret, quia bellum sine causa Romanis commovisset.*

ceteri scriptores, quae Tigrani ademptae sint terras has nominant: Liv. Per. 101 (99, 18) *Tigranem in deditionem accepit eique ademptis Syria Phoenice Cilicia regnum Armeniae restituit,* quae ex Livii quadam epitoma, qua usus est etiam Eutropius, fluxisse constat.[2])

Vell. II 37, 5 *Syria aliaeque quas occupaverat* (Tigranes) *provinciae ereptae, et aliae restitutae populo Romano, aliae tum primum in eius potestatem redactae ut Syria, quae tum primum facta est stipendiaria. finis imperii regi terminatus Armenia.*

Cassius Dio XXXVI 53, 2[3]) τὰ γὰρ προσκτηθέντα ὑπ' αὐτοῦ (scil. Τιγρ.) (ἦν δὲ ἄλλα τε καὶ τῆς Καππαδοκίας τῆς τε Συρίας μέρη, ἥ τε Φοινίκη καὶ ἡ Σωφανηνὴ χώρα τοῖς Ἀρμενίοις πρόσορος οὐ σμικρά) παρείλετο αὐτοῦ, καὶ πρόσετι καὶ χρήματα αὐτὸν ᾔτησεν (Πομπ.).

Plut. Pomp. 33, 5 (637 b) τῶν μὲν ἄλλων ἔφησε (Πομπ.) δεῖν αἰτιᾶσθαι Λεύκολλον· ὑπ' ἐκείνου γὰρ ἀφῃρῆσθαι Συρίαν Φοινίκην Κιλικίαν Γαλατίαν Σωφηνήν. ἃ δ' ἄχρις ἑαυτοῦ διατετήρηκεν, ἕξειν ἐκτείσαντα ποινὴν ἑξακισχίλια τάλαντα Ῥωμαίοις τῆς ἀδικίας, Σωφηνῆς δὲ βασιλεύειν τὸν υἱόν. (= Zon. X 4).

App. Mithr. 105[4]) καὶ ὁ Πομπήιος αὐτῷ (Τιγρ.) συνεγίγνωσκε τῶν γεγονότων καὶ συνήλλασσε τῷ παιδὶ καὶ διῄτησε τὸν μὲν υἱὸν ἄρχειν τῆς Σωφηνῆς[5]) καὶ Γορδυηνῆς[6]), αἳ νῦν ἄρα εἰσὶν Ἀρμενία βραχυτέρα, τὸν δὲ πατέρα τῆς ἄλλης Ἀρμενίας ἐπὶ τῷδε τῷ παιδὶ κληρονόμῳ. τὴν δὲ ἐπίκτητον αὐτὸν ἀρχὴν ἐκέλευεν ἤδη μεθεῖναι. καὶ μεθίει Συρίαν τὴν ἀπ' Εὐφράτου μέχρι τῆς θαλάσσης· εἶχε γὰρ δὴ καὶ τήνδε καὶ Κιλικίας τινὰ ὁ Τιγράνης, . . .[7])

Festum ubi quae Tigrani ademptae sint provincias narrat, solum a ceteris differre apertum est. sed quod nemo eum hac in re graviter peccasse adhuc vidit, miror. nam Eutropius postquam Mithridatem a Lucullo fugatum esse dixit, sic pergit VI 8, 4 (96, 15) *Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem* (Mithr.) *sublata est. susceptus tamen est Mithridates post fugam a Tigrane Armeniae rege, qui tum ingenti gloria imperabat, Persas saepe vicerat, Mesopotamiam occupaverat et Syriam et Phoenices partem.* iam supra p. 42 adn. 6 priorem sententiam fere ad verbum cum quem textu, Festus in capite 3 (p. 6, 21) conscripsit, congruere dixi. quid? terrae quas

1) Sophanene est pars occidua Armeniae Maioris, in sinistra Eufratis ripa sita: PW 2. s. tom. V 1015.

2) Ne plura afferam, conferas quod posuit stemma Kornemannus, Beitr. z. alt. Geschichte, Beih. 2 (1903), p. 88. sed Alfredus Klotz duabus in commentationibus (Hermes 44 [1909], p. 198 sqq.; 48 [1913], p. 542 sqq.) aliter de epitoma Liviana iudicandum esse dixit. Periochas non ex Epitoma quadam fluxisse, sed indices Livii ipsius praebere censuit. quae verisimillima esse existimo, praesertim cum, quae adhuc viri docti de Epitoma Livii opinati sunt, falsa esse infra disputaturus sim. utique ex Livio res quae Periochis continentur fluxerunt.

3) Ex Livio fortasse fluxerunt, cfr. E. Schwartz PW III 1699, 40.

4) Etiam argentum Tigrani impositum memoratur antea 104.

5) De nominis formis cfr. Boissevain ed. Cass. Dionis in app. crit. tom. I, p. 390,12.

6) Cfr. Th. Reinach-A. Goetz, Mithradates Eupator, Leipzig 1895, p. 391 adn. 2.

7) De fontibus Plutarchi et Appiani cfr. quae exposuit satis incerta Th. Reinach-A. Goetz, Mithradates Eupator, Leipzig 1895, p. 443 sq. et 452. Plutarchum, ex Theophane, Appianum ex Nicolao hausisse contendit.

Tigranes sibi expugnaverat, eaedem nominantur, quae in Festi capite 16 ei per Pompeium ereptae esse dicuntur. quae inter Festum ceterosque omnes dissimilitudo quomodo orta sit, quaerendum est. aut Festus in fonte simile aliquid atque apud Velleium legimus, Tigrani id quod antea occupaverat sublatum esse certis nominibus non allatis vidit. quod ut expleret sicuti fecit Cassius Dio, quae antea a Tigrane acceptae essent, investigavit et inseruit. sed ita rem se habere minime existimo. nam si quam Festus in capite 16 hac de re scripsit sententiam, ex compage loci totius solvimus, haec reliqua sunt: *receptae ab eo* (Tigrane) *sunt Mesopotamia Syriae et aliquanta pars Phoenices.* quae in duas partes accipi possunt: aut occupavit Tigranes terras quae dictae sunt, aut ereptae sunt Tigrani.[1]) his igitur ancipitibus verbis, quae Festum inter excerpta sua excepisse existimaverim, effectum esse puto, ut falso loco inter excerpta diversa haec a Festo insererentur. hunc vero locum de Lucullo a Festo spectatum esse sive in Eutropio sive in Epitoma quadam Liviana eo confirmatur, quod Festus ut dixi priorem partem alio loco, in capite tertio, usurpasse videtur.[2]) nam etsi quantopere Tigranes regnum suum auxerit, ab Eutropio solo narratur inter scriptores Latinos[3]), tamen ea ex Eutropii breviario ipso deprompta esse non nisi gravioribus argumentis allatis satis demonstratur. unum certum fit in capite 16 a Festo excerpta diversis de locis sumpta contaminata esse. quod si hoc loco admissum est, etiam alibi factum esse verisimile est.[4])

Sed Festus hoc toto de Pompeio capite eadem qua Eutropius ratione res etiam disposuit, ita ut a Periochis et Orosio differat.[5]) nam cum in Periochis Livii libri 101[6]) Mithridatis fuga proelio devicti, et in libro

1) In capite 14 res item se habet, praeterquam quod Mesopotamia ut aptius cadat oratio cum antecedentibus coniuncta est, omniaque brevius narrantur. reperitur etiam ambiguum illud *receptae sunt.*

2) Excerptum illud igitur falso in capite 16 et 14 (supra p. 42) adhibitum est, cum in capite 3, quo Cilicia et Syria memorantur, epitomen quandam Livianam, quoniam ea ipsa nomina etiam in Periochis exstent, usurpatam esse putaverim. novit igitur Festus quas re vera Pompeius in dicionem populi Romani redegit terrarum nomina, tamen bis errore falsum excerptum adhibuit.

3) Apud Graecos aperte hac de re loquitur Strabo XI 14, 15, quam adumbraverit Plutarchus (Luc. 21); cfr. Drumann-Groebe IV, p. 157.

4) Hac in re erravit Gustavus Reinhold, Das Geschichtswerk des Livius als Quelle späterer Historiker, Progr. Berlin 1898, ita ut multa, quae statuit in p. 1—7, incerta fiant. nam quod Festus saepius easdem res diversis in libello suo locis narravit, unumquemque locum, ut fontis speciem restitueret, adhibuit. at ex Festi verbis non fontis ipsa verba, sed quae Festus ex fontibus excerpsit interdum satis obscura cognosci posse demonstravi. nam Festus bis excerptum falso interpretatus falso loco inseruit, quod vitium si bis fontem adisset, certe animadvertisset. praeterea cum Festum aliquotiens excerpta, quae diversis ex fontibus fluxerint, confudisse dixerim, ipso Reinholdo teste (WclPh. 22 [1905] c. 574) sententia eius incerta fit.

5) Gustav Reinhold l. c. p. 9.

6) Per. 101: *Cn. Pompeius Mithridatem nocturno proelio victum coegit Bosporon profugere.* cfr. Eutr. VI 12, 2 (98, 20) *Mithridatem . . . nocturno proelio vicit.* vir. ill. 76, 7 (68, 16) *Mithridates post a Pompeio nocturno proelio victus in regnum confugit.* cfr. Flor. I 40, 23 (99, 8); Oros. VI 4, 3 (363, 18); Drumann-Groebe IV, p. 445.

102[1]) Pharnacis contra patrem rebellio, qua Mithridates ad venenum compulsus est, describatur intercedente cum aliarum rerum tum deditionis Tigranis narratione, similiterque res se habeat apud Orosium, Gustavus Reinhold apud Eutropium Festumque, quibus ego Florum addo, mortem Mithridatis post fugam eius ante res cum Tigrane actas narratam esse dicit. ceterum etiam Graecorum scriptores Plutarchus Cassius Dio Appianus mortem Mithridatis non post fugam, sed suo tempore rettulerunt. hisce ex dissimilitudinibus primus Gustavus Reinhold duas quasdam Livii epitomas exstitisse conclusit. cuius argumenta etsi ipsa, cum falso Festo nisus sit, corruunt, quod supra p. 44,4 demonstravi[2]), tamen quae

---

1) Per. 102

Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit. ab eo Mithridates obsessus in regia, cum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo nomine Bitoco, a quo ut adiuvaret se petierat, interfectus est.

vir. ill. 76, 7

ubi (in Bosporo) *per seditionem popularium a Pharnace filio in turre obsessus venenum sumpsit. quod cum tardius combiberet*[1]) *quia adversum venena multis antea medicaminibus corpus firmarat, immissum percussorem Gallum Bithocum auctoritate vultus territum revocavit et in caedem suam manum trepidantis adiuvit.*

1) i. e. in se reciperet, latiore sensu: Thes. l. l. III 1757, 40sq.

Oros. VI 5, 3

Mithridates . . in scelera exarsit . . . Pharnaces . . exercitum . . adversus patrem duxit.

Oros. VI 5, 6

venenum omnibus dedit (Mithr.). *quod cum ipse novissimus hausisset nec tamen propter remedia quibus vitalia sua adversus noxios sucos saepe obstruxerat, veneno confici posset . . Gallum quendam militem iam fracto muro discurrentem invitavit eique iugulum praebuit. hunc exitum vitae Mithridates habuit . . .*

R. Fest. 16

ibi (in Bosporo) *desperatione rerum suarum venenum hausit, et cum vis veneni parum ageret, a milite suo ut ferro percuteretur impetravit.*

Eutr. VI 12, 3

neque multo post cum in suos saeviret, Pharnacis filii sui apud milites seditione ad mortem coactus venenum hausit. hunc finem habuit Mithridates, periit apud Bosporon.

Flor. I 40, 26

sed defectione civium Pharnacisque filii scelere praeventus male temptatum veneno spiritum ferro expulit.

cfr. Plut. Pomp. 41 τέθνηκε στασιάσαντος Φαρνάκου τοῦ υἱοῦ διαχρησάμενος ἑαυτόν (= Zon. X 5); Gell. XVII 16, 5 *venena . . frustra expertus suo se ipse gladio transegit;* Cass. Dio XXXVII 12, 4sq. (Φαρνάκης) τόν τε πατέρα ἐς τὸ βασίλειον καταφυγόντα ἀπέκτεινεν. ἐπεχείρησε μὲν γὰρ ἑαυτὸν διαχρήσασθαι, etc. cum vero ob antidoti consuetudinem veneni vis minueretur, προσέπεσόν τε αὐτῷ ἐκεῖνοι οὓς ἐπὶ τὸν υἱὸν ἐπεπόμφει καὶ συνετάχυναν τοῖς ξίφοις καὶ ταῖς λόγχαις τὸν ὄλεθρον. Comm. Luc. I 337 *a filio Pharnaci occisus est.* cfr. App. Mithr. 111; Galen. XIV p. 284 Kühn; alios qui mortem Mithridatis commemorant scriptores vides apud Drumann-Groebeum IV, p. 470, quibus addendus est Iust. Trogi XXXVII 2, 6. cfr. Th. Reinach-A. Goetz l. c. (s. p. 37) p. 408 a. 2.

2) Pridem incertis argumentis usum esse Reinholdum dixit Henricus A. Sanders in libro qui inscribitur The lost Epitome of Livy, New York 1904, p. 180. adhibitos

statuit, quoniam Festo Florus succedit neglectus a Reinholdo[1]), retinenda sunt. sed nova difficultas iam oritur. Ernestus Kornemann in egregia illa de nova Livii Epitoma commentatione[2]) Florum ex eadem qua Orosius Periocharumque scriptor epitoma hausisse aliis argumentis usus contendit. quae quomodo cum iis quae exposui congruant, videant alii, cum ut haec diiudicentur, denuo maxima illa de Livio deperdito quaestio tractanda sit. satis habeo demonstrasse differentias. nam huc usque partes quasdam huius quaestionis investigatas esse video, quam ut solvatur totam aggredi oportet.

TRACTATUR FESTI DE VENTIDIO BASSO CAPUT: DE LIVI EPITOMA FONTE FESTI

Festum vero, cum hoc loco fonte, qui diversis de libris Livi sumpta ob rerum similitudines coniunxerat, usus esset, altero loco fontem diversum, qui res congruentes sicut Livius per libros divulsas praebebat, adhibuisse demonstrari potest. nam postquam in capite 17 de expeditione, quam infelicem Crassus contra Persas suscepit disseruit[3]), in capite 18 Ventidii Bassi, qui legatus Antonii erat, facta narrantur.[4]) quibuscum iam Ricardus Jacobi textum Periocharum contulerat (lib. 127 et 128).

Festus 18 (16, 17)	Per. 127	
Parthi Labieno qui Pompeianarum partium fuerat ac victus ad Persas refugerat, duce in Syriam inruperunt	*Parthi Labieno qui Pompeianarum partium fuerat duce in Syriam inruperunt victoque Decidio Saxa M. Antoni legato totam eam*	Cfr. Oros. VI 18, 23 (411, 7 Z.), qui ex Livii quadam Epitoma et Eutropio hausit[a]). Flor. II 19, 5
ac totam provinciam occuparunt.	*provinciam occupaverunt.*	

a) Conferas adnotationem c.

esse enim a Festo et Eutropium et Epitomam Livianam valde breviter memorat. id frustra refutare temptavit Gustavus Reinhold (WclPh. 22 [1905] c. 574). tamen Henrico Sanders non contigit, ut unam Epitomen Livianam tantum a scriptoribus omnibus adhibitam esse satis firmaret.

1) Ne Henricus Sanders quidem l. c. Flori rationem habuit. cfr. Th. Opitz, Burs. Jber. 121 (1904), p. 128. sed utrum Florus Livio ipso an Epitoma Livii usus sit, satis incertum est. cfr. F. Jacoby in: M. Wuensch, Lucaninterpretationen, Kiel 1930, p. 14: Vielleicht muß man mit einer rhetorischen Zwischenquelle zwischen Livius und Florus rechnen.

2) Beitr. z. alten Geschichte (Klio), Beih. 2 (1904), p. 88.

3) Plurima hic ex Floro fluxisse pro certo habeo; cfr. A. Eussner, Phil. 37 (1877), p. 156; Wölfflin, ALL. 13 (1904), p. 78.

4) Cfr. Gustav Reinhold, Das Geschichtswerk des Livius als Quelle späterer Historiker, Progr. Berlin 1898, p. 16; Richard Jacobi, De Festi breviarii fontibus, Bonn 1874, p. 43; Carl Wagener, Phil. 45 (1886), p. 527; Wölfflin, ALL. 13 (1904), p. 80.

Festus 18	Per. 127 post alia:	Eutr. VII 5, 2 (116, 5)
P. Ventidius Bassus Parthos, qui ducente Labieno Syriam invaserant, occurrens in Capro[d]) *monte cum paucis fugavit, Labienum occidit, persecutus Persas ad internecionem stravit.*	*P. Ventidius Antoni legatus Parthos proelio victos Syria expulit, Labieno eorum duce occiso.*	*et Lucius*[b]) *Ventidius Bassus inrumpentes in Syriam Persas*[c]) *tribus proeliis vicit.*
	Per. 128	
qua congressione Pacorum regis filium eadem die, qua	*L.*[e]) *Ventidius legatus M. Antoni Parthos in Syria*	*Pacorum regis Orodis filium interfecit eo ipso die,*

b) Praenomen falsum pro Publii nomine iam ex epitoma Liviana haustum: vid. Per. 128; omisit Paeanius. cfr. R. Jacobi l. c. (s. p. 22) p. 42, 1; C. Schrader, De scriptoribus rerum Augusti temporibus gestarum quaestiones selectae, Münster 1877, p. 30. 26.

c) Etiam Paeanius Πέρσας scripsit. confusis Eutropii Liviique Epitomae verbis haec apud Orosium leguntur VI 18, 23 (411, 7) *Ventidius Persas et Parthos in Syriam inrumpentes tribus bellis maximis fudit regemque eorum Pacorum in acie interfecit ea scilicet die qua Crassus a Parthis fuerat occisus*, ita ut mirum in modum nomina Persarum Parthorumque repetantur (cfr. C. Wagener, Phil. 44 [1885], p. 344). idem altero loco accidit. Eutropius enim in l. IX 2, 2 (150, 14sq.) haec scripsit: *Gordianus admodum puer cum Tranquillinam Romae duxisset uxorem, Ianum Geminum aperuit et ad orientem profectus Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erumpere. quod quidem feliciter gessit proeliisque ingentibus Parthos adflixit. rediens haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, . . .* (*Parthos adflixit* FG codd. optimi, deteriores LO et vetustissimus P (D) *Persas;* Paean. ὥρμησεν ἐπὶ τὰ πρὸς ἕω. στρατεύσας δὲ ἐπὶ Πέρσας καὶ κρατήσας αὐτῶν μάχαις πολλαῖς, ἐπανιὼν ἀνηρέθη.) quae breviter refert Rufius Festus c. 22 (19, 1 sq.): *Sub Gordiano acri ex iuventutis fiducia, rebellantes Parthi ingentibus proeliis contusi sunt. isque rediens victor de Perside fraude Philippi . . . occisus est.* haec in Isidori Chronicis (circ. a. 615 p. C.) sic leguntur: Chron. Min. II 462, 300sq. *Gordianus regnavit ann. VII. hic rebellantes Parthos et Persas afflixit. rediens victor de Persis fraude suorum interiit.* hoc loco contaminatos esse Eutropium Festumque apertum est, cfr. C. Wagener, Phil. 39 (1880), p. 180. sed hoc ex loco Isidori, quae vera sit lectio Eutropii loco supra laudato, diiudicare non licet, cum Isidorum codice aliquo classis deterioris etiam alibi usum esse constet (Mommsen, Chron. Min. II, p. 395). ne illud Festi *de Perside fraude* quidem corrigi potest secundum Isidori textum in *de Persis fraude*, quod proposuit Carolus Wagener, Phil. 39 (1880), p. 180, qui molestum apud Festum homoioteleuton esse monuit. nam probatur Rufi Festi lectio verbis Eutropii VIII 19, 2 (162, 5) *nam de Perside victor exercitus rediens* (cfr. infra p. 51,6). alia de causa scilicet ut dictionem oratoriam efficeret, etiam SHA nomina Parthorum et Persarum saepius coniunxit, cfr. E. Tidner, De particulis copulativis apud SHA, Uppsala Univ. Arsskr. 1922, 3, p. 13.

d) *Capro* codd. omnes; *Tauro* corrigendum, cfr. Cass. Dio XLVIII 39, 4, Drumann-Groebe I, p. 321. an Festus erravit?

e) Codices omnes *L.*, vide supra adn. b. *L.* pro *P.* etiam praebet falso Per. 2; — Liv. II 2, 11 = Val. Max. IV 1, 1: *P. Valerius;* — Eutr. I 9, 4 (16, 9) = 11, 4 (18, 8) = Paen. = Per. Liv. 2 (5, 15) = vir. ill. 15 (35, 9) = Cassiod. chron. Min. II p. 123, 97: *L. Valerius;* Mommsen, Chronik des Cassiodor, Ges. Schr. VII p. 672 adn.

Festus 18	Per. 128	Eutr. VII 5
Crassus fuerat victus occidit, ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Persis primus triumphavit.	*proelio vicit regemque eorum occidit.*[f])	*quo olim Orodes Persarum rex*[g]) *per ducem Surenam Crassum occiderat.* *hic primus de Parthis iustissimum triumphum Romae egit.*[h])

In Festi textu illud de Syria a Persis Labieno duce occupata bis repetitum altero loco omnino supervacaneum esse videmus. sed ubi comparaverimus Periochas cum Festo, ut qualis fuerit fons, investigemus, iam res explicabitur. Livius libro 127 diversis locis de hac Parthorum incursione locutus est, ita ut in Livii Epitoma quoque haec narratio diversis locis exstaret. quae cum ita essent, posterior in libri 127 epitoma locus cum priore receptis verbis *qui ducente Labieno Syriam invaserant* vel sim., ut idem bellum dictum esse cognosceretur, coartatus est, sicuti in Periochis posteriore loco legimus illud *Labieno duce.* Festus vero ita fontes excerpsit, ut quomodo postea excerpta componenda essent interim neglegeret. itaque utroque loco Epitomae illud *Labieno duce* vel sim. exscripsit, ut in utroque excerpto per se intellegeretur, quod bellum cum Persis gestum diceretur. quae ratio excerpendi coniunctis excerptis iam in aperto est. ne verba illa *qua congressione* quidem ita apte posita sunt, cum Pacorum non eodem quo Labienus obiit proelio inter-

f) Cfr. R. Jacobi l. c., p. 43; C. Schrader l. c. (s. adn. b.), p. 44.

g) *Persarum rex per ducem Surenam* desunt apud Paeanium. huiuscemodi ineptias omnes ex textu Eutropi eicere cum Dunckero (De Paeanio Eutropi interprete, p. 18sq.) incautum est, cum eodem modo nec maiore cum virtute Eutropium collegisse sua quam Festum existimaverim, etiamsi Festus eo magis quae inter sese non consentirent, coniungere debuit, quo ei undique res in Oriente gestae ex contextu aliorum scriptorum evellendae, postea quae non convenirent aliquo modo coartandae erant. quamobrem iterationis exempla, quae Festus plurima praebet, apud Eutropium, quoniam fontes ei cum continuatione sententiarum exscribendi erant, rarius inveniuntur. minus recte hac de re iudicavit Gustavus Reinhold, Das Geschichtswerk d. Livius als Quelle spät. Historiker, p. 17.

h) Triumphus Ventidi memoratur apud Suetonium (fragm. Gell. XV 4, 4) *Eundem* (Ventidium) *Bassum Suetonius Tranquillus praepositum esse a M. Antonio provinciis orientalibus Parthosque in Syriam introrumpentes tribus ab eo proeliis fusos scribit eumque primum omnium de Parthis triumphasse et morte obita publico funere sepultum esse.* cfr. Hier. Abr. 1942 (155, 6) ex Eutropio; Plut. Ant. 34, 9; Cassius Dio XLIX 21, 3; Val. Max. VI 9, 9 *ex Parthis . . triumphum duxit.* non recte Wladimirus Pirogoff (De Eutropi breviarii indole ac fontibus, Berlin 1873, p. 86, cfr. C. Schrader, De scriptoribus rerum Augusti temporibus gestarum etc., p. 31) et Hugo Behrens (Untersuchungen über das anonyme Buch de viris illustribus, Heidelberg 1923, p. 69) verba Eutropi de Suetoni textu prompta esse censent, cum unde Suetoniana sumpta sint, satis diiudicari non possit (G. Reinhold, l. c. p. 16 adn.). melius ut Eutropiana ita Suetoniana ex Livio ipso vel eius Epitoma fluxisse dicit C. Wagener, Phil. 45 (1886), p. 528. cfr. Herman Haupt, Phil. 44 (1885), p. 291sqq.; R. Helm, Rh. Mus. 76 (1927), p. 275sq.; Mommsen, Ges. Schr. VII, p. 618.

fectum esse constet.[1]) sed hic iterum excerpta duo concurrebant, quae ut ad idem proelium pertinere existimaret scriptor commotus est consensu textus Epitomae, in qua proelium prius isdem fere verbis quibus posterius redditum esse ex Periochis librorum 127 et 128 videmus: *P. Ventidius Bassus Antoni legatus Parthos proelio victos Syria expulit* ~ *L. Ventidius Bassus legatus M. Antoni Parthos proelio vicit regemque eorum occidit.* quin etiam excerpta a Festo ipso conglutinata esse eo firmari videtur, quod congressionis vocabulum, qua iunctura minus recte Festus usus est, proprium Rufiani sermonis esse dixit Eduardus Wölfflin.[2])

Festus igitur cum altero loco capitis 18 res qua serie in epitoma Liviana collocatae vel divulsae erant rettulerit, altero loco capitis 16 vix huius modi Epitomam, quae secundum libros Livii disposita esset, secutus est, quoniam diversorum Livi librorum narrationes in unam redactas praebet. cum vero hoc ipso capitis 16 (s. p. 41) loco permulta cum Eutropi textu congruant, qui una cum Floro eandem dispositionis rationem habeat, dissentientibus loco capitis 18 Festo et Eutropio, praeter Livi quandam Epitomam Eutropium quasi fundamentum in capite 16 a Festo usurpatum esse putaverim.[3]) quae praeterea de Livii epitomae vel potius epitomarum — nam multo plures quam hucusque viri docti statuerunt fuisse existimo — compositione his ex rebus concludenda sint, cum quaestio satis difficilis videatur esse, hic praetermitto.[4]) quae cum ita sint, confirmari puto ea, quae de locis diversis de fontibus excerptis et male in capite Festi 20 compositis exposui. nunc ad ea quae restant transeo.

4. TRACTATUR POSTREMUS QUO MOMMSENUS NISUS EST LOCUS

Optime iam Woelfflinus, qui ea quae Mommsenus et Droysenus censuerunt refutavit, illud *atque ibi* (cfr. p. 25 et p. 27) non respicere ad ea ipsa quae proxime antecedunt verba de India marique Rubro dixit,

1) Cfr. Drumann-Groebe, Geschichte Roms I, p. 321. congressionis vocabulum pugnam vel certamen significat: R. Fest. 14 (14, 15) *victis prima congressione Romanis*, oppositum est *secundo autem conflictu;* c. 27 (20, 27) *praeter leves excubantium in limite congressiones;* in Thes. l. L. synonyma afferuntur: certamen proelium contentio; rarius sane etiam de bello toto dictum videtur: Gloss. II 442, 4 συμβολὴ ἐπὶ μάχης ἤτοι πολέμου *proelium congressio confligatio.* Comm. Luc. V 352 *ut non antea Pompeianam congressionem accederem quam mutarem exercitus* ad versus Lucani: *Sunt ista profecto / Curae castra deis, qui me committere tantis / Nonnisi mutato voluerunt milite bellis.* sed de quo agitur loco Festi iam attractione relativa ceterisque eius exemplis idem proelium dictum esse apparet.

2) ALL. 13 (1904), p. 174; optimae aetatis verbum fuit *congressus.*

3) Id firmatur etiam vitio communi, quod et Eutropius et Festus admiserunt. ex nummis enim Aristarchum non regis titulum, quem ei tribuunt Eutropius et Festus, habuisse cognoscitur: Th. Reinach-A. Goetz, Mithradates Eupator, Leipzig 1895, p. 399 adn. 4. vide etiam J. Friedlaender-Weil, Repertorium zur antik. Numismatik, Berlin 1885, p. 226.

4) Cfr. praecipue quae proposuit A. Klotz, Die Epitoma des Livius, Hermes 48 (1913), p. 542sqq.

sed ad totam sententiam, qua narratur de occupatis regionibus, quarum gentes imperator postea provinciarum rectoribus subegit.[1]) simili ratione utique altero loco *atque ibi* usurpatum esse vidi: Eutr. VI 2 (92, 19) *Ad Macedoniam missus est Ap. Claudius post consulatum. levia proelia habuit contra varias gentes, quae Rhodopam provinciam incolebant, atque ibi morbo mortuus est.*[2]) ubi nescio an illud *atque ibi* ad omnia quae antecedunt verba spectet. sed in fonte Festi quicumque est verba eadem qua in Eutropii libro ratione fuisse disposita verisimile esse puto. nam quae apud Eutropium Mesopotamiae nomini adiuncta sunt: *cum his gentibus quae Madenam attingunt. Arabiam postea in provinciae formam redegit. in mari Rubro classem instituit, ut per eam Indiae fines vastaret,* Festus in capite 20 non memorat, quoniam pauca de situ Mesopotamiae adiecit. tamen in fonte eius post Armeniam Assyriam Mesopotamiam Arabiae mentionem factam esse ex capite 14 cognosci potest. Festus igitur cum caput 20 conscriberet, extrema de excerptis quasi desecuit. quo si Festi fons fuerit Eutropius, etiam quae de classi in mari Rubro instituta apud Eutropium exstant, exciderint. id simul ne accideret et uti narratio brevior fieret[3]), Festus ubi primum mare Rubrum commemoravit statim classem interposuit. itaque non modo textus Eutropi offensioni non est, sed etiam cur ordo sententiarum apud Festum variatus sit, bene plane explicatur. quae apud Festum (cfr. p. 26) sequuntur verba de limite Romano deque amnibus Mesopotamiae et in capite vicesimo et in capite decimo quarto Festum de suo addidisse apertum est. nam huiusmodi geographica Festum nosse saepius dixi.

5. DE EUTROPIO FESTI, HIERONYMI, SCRIPTORIS H. A. FONTE

Duos igitur fontes Festi distinximus alterum simillimum Eutropi alterum Festo Eutropioque uberiorem. alterum Eutropi breviarium ipsum fuisse quibusdam ex argumentis concludi posse existimo. primum non plura quam Eutropius praebet Festus, dum hunc fontem sequitur, eaque saepius ad verbum congruentia.[4]) sententiae quoque eodem modo

---

1) ALL. 13 (1904), p. 75. Paeanius illud *atque ibi* vertit: ὅθεν ἀρξάμενος . . .

2) Cfr. Drumann-Groebe II, p. 160.

3) Immutatum sententiarum ordinem, ut verba melius coartentur vel comprimantur, apud Paeanium saepius invenimus. Festus ipse alterum locum c. 21 (18, 17) *Parthos strenue vicit, Adiabenos delevit, Arabas interiores obtinuit et in Arabia provinciam fecit* in aptiorem redegit ordinem mutata collocatione verborum, quae Eutropius simili atque in l. VIII 3, 2 ratione disposita praebet VIII 18, 4 (146, 28) *Parthos vicit et Arabas interiores et Azabenos. Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret.* ita post victorias instituta referuntur, ut in c. 3 post victorias et expeditiones Traiani per *atque ibi* iuncturam instituta adiunguntur.

4) Elimarus Klebs (Die Sammlung der SHA, Rh. Mus. 45 [1890], p. 462) Festum artius cum Eutropio quam ullum ceterorum scriptorum cohaerere vidit, tamen ex communi fonte Festum et Eutropium ductos esse contendit. quem fontem similem fuisse fonti Aurelii Victoris sed paulo immutatum, sicuti in medio aevo chronici eiusdam formae complures inter sese non absimiles modo hic modo illic essent usurpatae, ita ut discrepantiae ortae sint etiam iis in libris quos si originem perspexeris,

et hic et illic sunt formatae. maioris vero momenti est, quod Rufius Festus ea tantum bella contra Persas gesta refert, quae apud Eutropium leguntur. in fonte autem Eutropii plura Parthorum bella esse narrata eo effici potest, quod Victor in libro de Caesaribus et scriptor Epitomae plura describunt. haec enim praeter ea quae Eutropius habet apud ceteros scriptores memorantur:

In vita Tiberii: Epit. 2, 9 (137, 10) *resolutis militiae artibus Armenia per Parthos, Moesia a Dacis* etc. *direptae sunt* ∼ Vict. Caes. 2, 3 (78, 18) ∼ Suet. Tib. 41.[1])

In vita Claudii: Vict. Caes. 4, 2 (81, 23) *Mesopotamia per orientem, Rhenus Danubiusque ad septentrionem et a meridie Mauri accessere provinciis;* quae scriptor Epitomes exscripsit 4, 4 (138, 12).[2])

In vita Neronis: Epit. 5, 8 (140, 18) *Hunc Persae in tantum dilexerant, ut legatos mitterent orantes copiam construendi monumenti,* cfr. Suet. Nero 57.

In vita Vespasiani: Epit. 9, 12 (142, 30) *Rex Parthorum Vologesus metu solo in pacem coactus est,* cfr. Suet. Vesp. 6, Vict. Caes. 9, 10 (88, 10), qui fons erat Epitomes.[3])

In vita Antonini Pii: Epit. 15, 2 (151, 19) *Quin etiam Indi Bactri Hyrcani legatos misere iustitia tanti imperatoris comperta.*[4])

Cum Eutropium Aurelium Victorem Epitomes scriptorem eundem Suetoni simillimum fontem adhibuisse verisimillimum sit[5]), res Parthicas supra ex Victore et Epitoma allatas ibi descriptas fuisse existimemus oportet, si non omnes at tamen eas quae etiam in Suetonio inveniuntur. quae cum ita sint, vix quisquam concedet, Festum qui res Persicas ipsas enumerare sibi proposuerat, neglegenter idem omisisse quod Eutropius. immo ex Eutropio ipso quaecumque invenit bella Persica resque in oriente gestas excerpsit.[6])

---

ex fonte communi fluxisse censeas. posse rem ita se habere nemo negat. sed ex iis quae exposui fontes duos fuisse concludendum est, quorum alter idem fere praebebat quod Eutropius. quem fontem Eutropium ipsum esse supra docebo.

1) Cfr. Arthurus Cohn, Quibus ex fontibus Aurelii Victoris . . undecim capita priora fluxerint, Berlin 1884, p. 32.

2) Victor tumultus Persicos dicit (cfr. Dessau, Röm. Kaisergeschichte II 1, p. 150); minus apte provinciis accessisse et Mesopotamia et Rhenus dicitur. ab uno verbo igitur, ut mos est apud epitomatores (vid. supra p. 26 adn. 4), res complures ductae sunt, etsi non in omnes verbum convenit.

3) Apud Victorem sane non recte scriptum est: *ac bello . . in pacem coactus* textu fortasse corrupto, cfr. Ch. Lécrivain, Études sur l'histoire Auguste, Paris 1904, p. 426; A. Cohn, l. c., p. 21 adn. 21.

4) Cfr. infra p. 65 adn. 1; Suet. Aug. 21 *Qua virtutis moderationisque fama Indos etiam ac Scythas . . pellexit ad amicitiam suam populique Rom. ultro per legatos petendam;* Vict. Caes. 1, 7 (78, 4) in vita Aug. *Felix adeo, ut Indi Scythae Garamantes ac Bactri legatos mitterent.* legationes ad Pium missae nusquam alibi memorantur. cfr. Th. Opitz, Quaest. de Sex. Aur. Vict. (act. soc. phil. Lips. II), p. 232.

5) Cfr. A. Cohn, l. c., p. 59; Lécrivain, l. c., p. 23; A. Enmann, Eine Gesch. der röm. Kaiser, Phil. Suppl. 4 (1884), p. 340 sqq. et infra App. I, p. 60 sqq.

6) Cum omnes Eutropii de rebus Persicis locos spectavit, tum IX 19, 2 (162, 5) *Nam de Perside victor exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Caesarem insidiis perdidisset, Diocletianum imperatorem creavit.* quae verba quamquam neglegi poterant, quoniam nihil de bellis Persicis narrant nisi reditum exercitus Cari, cuius contra Persas bellum iam antea in cap. 18, 1 memoratum Festus in cap. 24

Etiam eo loco, unde quaestionem de Festi fontibus orsi sumus (s. p. 21) Fest. c. 22 (19, 3) (Gordianus) . . *fraude Philippi . . occisus est. milites ei tumulum in vicesimo miliario a Circesso castro, quod nunc exstat, aedificaverunt atque exsequias eius Romam cum maxima venerationis reverentia deduxerunt* adhibitum esse Eutropii textum IX 2, 3 (150, 18) (Gord.) *interfectus est fraude Philippi . . . miles ei tumulum vicesimo miliario a Circesio, quod castrum nunc Romanorum est Euphratae imminens aedificavit. exsequias Romam revexit. ipsum divum appellavit* — aliis argumentis demonstrari potest praeter ea quae s. p. 22 Woelfflinum secutus exposui. accedit enim, ut Eutropius et Festus ea re a nonnullis scriptoribus differant, quod corpus Gordiani Romam transvectum esse narrant. idem legimus apud Hieronymum Abr. 2260 (217, 6) *Gordiano milites tumulum aedificant, qui Eufratae imminet, ossibus eius Romam revectis,* ubi verba plurima cum Eutropii textu congruunt. at Ammianus Marcellinus Gordianum in ipso tumulo sepultum esse dicit. nam postquam Iulianum contra Persas profectum accessisse sepulcrum ad Zaitham situm XXIII 5,7 (305, 22) descripsit, orationem quam Iulianus eadem in regione habuit profert. qua in oratione Iulianus Gordianum gloriam Traiani Veri Severique adaequaturum fuisse contendit, *ni factione Philippi praefecti praetorio sceleste iuvantibus paucis in hoc ubi sepultus est loco vulnere impio cecidisset* Amm. XXIII 5, 17 (308, 5).[1]) similiter res descriptae sunt in Epitoma 27, 3 (158, 22) *corpus eius prope fines Romani Persicique imperii positum nomen loco dedit sepulcrum Gordiani.*[2])

Quaerendum igitur, utrum Eutropius Festus Hieronymus an Ammianus et Epitomator verum servaverint. neque ex verbis Zosimi III 14, 2, quae ex Magno hausit, οὗ (scil. ἐν Δοῦρα prope Zaitham sito) Γορδιανοῦ τοῦ

---

exscripserat, tamen Festus quasi verbo Persidis contactus iuncturam saltem verborum in cap. 22 (19, 3) *isque* (Gordianus) *rediens victor de Perside* . . (Eutropius congruenti loco: *rediens* vid. supra p. 21) imitatus est.

1) Ammianum in ea parte libri XXIII, qua hanc Iuliani orationem proposuit, Magno usum esse constat, cfr. W. Klein, Studien zu A. M., Klio Beih. 13 (1914), p. 42 sqq.; A. Klotz, Quellen Ammians i. d. Darstellung von Iulians Perserzug, Rh. Mus. 71 (1916), p. 477 sqq. et argumentum orationis ex Magno ipso Malalas servavit, qui haec exscripsit: Magnus fr. 1 FGrHist. ed. Jac. p. 952, 25 ἐπαινῶν αὐτοὺς (i. e. milites) καὶ προεπόμενος προθύμως καὶ σωφρόνως ἀγωνίσασθαι κατὰ Περσῶν. cfr. Zosimus III 13, 3, qui eodem loco Magni usus est: L. Mendelssohn, praef. Zos. XXXIX sqq. — plurima vero quae Ammianus in illa Iuliani oratione magna ut solet verborum copia exposuit, cum aliis de causis tum quia proprium Ammiani sermonem praebent, ex mente Ammiani ipsius fluxisse certum est (cfr. W. Klein, l. c., p. 78, 1; A. Klotz, l. c., p. 479). quin etiam quae Ammianus XXIII 5, 17 (308, 3) Iulianum loquentem facit: *Gordianus cuius monumentum nunc vidimus honorate,* omnino non apud Magnum inveniri poterant. nam re vera Iulianus orationem illam priusquam ad Gordiani sepulcrum veniret habuit, id quod Ammianus confudit et perturbavit, vid. commentationes s. allatas et L. Mendelssohn ad Zos., p. 132, 1.

2) Hos locos iam comparavit A. v. Domaszewski, Die Personennamen bei den SHA (Sber. Heidelb. Ak. 1918, 13), p. 109, sed cum leviter tantum attingeret, rectum non vidit.

βασιλέως ἐδείκνυτο τάφος neque ex narratione Scriptoris Historiae Augustae XX Gord. 34, 2 (56, 4) *Gordiano sepulcrum milites apud Circesium castrum fecerunt in finibus Persidis*, num corpus Gordiani in Asia sepultum esse intellexerint, satis certo cognosci potest. et Aurelius Victor de sepultura omnino tacuit. e numero nostri temporis virorum doctorum denique alter Otto Hirschfeld[1]) sepulcrum illud cenotaphium fuisse censuit, cum soli Eutropio fidem haberet, alter Johannes Müller[2]) Ammiani narrationem potius pro vera habendam esse paucis verbis iudicavit. Forbigerus[3]) hac de re Eutropium, cum expeditioni Iuliani interfuisset (Eutr. X 16, 1), quae ipse viderit narrare dicit. id nescio an conveniat, si referatur ad intervallum, quo abesse tumulum Circesio Eutropius dicit, praesertim cum saepius rebus geographicis studuerit (s. p. 39 adn. 4). sed minime adiuvat, ut illam de Gordiani sepultura dubitationem tollamus, cum Ammianus non minus quam Eutropius tum in exercitu Iuliani egerit.

Ego Ammiano ut homini Graeco, qui ne veritatem excederet diligentius operam dedit, plus auctoritatis tribuerim, et Epitomam iam ea re, quod tres Gordianos memoravit, et Eutropio et Victori, quippe qui duos perperam praebeant, praestare notum est. quae ut confirmem, haec proponam: isdem fere regionibus alter imperator mortem obiit Caracalla (a. 217). quo de casu haec narrant Aur. Victor 21, 5 (102, 8) *cum Syriam circumgrederetur apud Edessam anno potentiae sexto moritur. corporis reliqua luctu publico relata Romam atque inter Antoninos funerata sunt* — et Epitoma 21, 6 (156, 23) *cum Carras iter faceret apud Edessam . . interfectus est. vixit annos fere triginta. corpus eius Romam relatum est.* similia apud SHA XIII Ant. Car. 9, 12 (191, 22) exstant, quae nescio an ex Victore hausta sint.[4]) et ab omnibus Caracallam Romae sepultum esse hodie probatur.[5]) sed Eutropius de funere Caracallae haec tradidit: VIII 20, 2 (148, 17) *defunctus est in Osdroëna apud Edessam moliens adversus Parthos expeditionem anno imperii sexto mense secundo vix egressus quadragesimum tertium annum.*[6]) *funere publico elatus est.* Eutropius igitur ubi Caracalla sepultus sit dicere omittit. tamen id in fonte eum vidisse[7]) ex textu Victoris, qui ex eodem fonte suam narrationem sumpserit

---

1) Die kaiserlichen Grabstätten in Rom (1886), Kl. Schr. Berlin 1913, p. 469, 2.

2) De M. Antonio Gordiano III Rom. imperatore, Münster 1883, p. 28, 1. ex commentatione Caroli F. W. Lehmann, Kaiser Gordian III., Jena 1911, vix fructum capias, praeterquam quod tabulam librorum, qui hac de re conscripti sunt, composuit.

3) Handbuch d. alten Geographie II, Leipzig 1844, p. 636 t.

4) Cfr. W. Reusch, Der historische Wert d. Caracallavita, Klio Beih. 24 (1931), p. 58 sq. — vid. etiam Cass. Dio LXXVIII 9, 1 τοῦ δ' οὖν Ἀντωνίνου τό τε σῶμα ἐκαύθη καὶ τὰ ὀστᾶ ἐν τῷ Ἀντωνινείῳ, κρύφα νυκτὸς ἐς τὴν Ῥώμην κομισθέντα, ἐτέθη. Herod. IV 13, 3 sqq. impr. 8 (131, 21 St.) ὁ δὲ Μακρῖνος πυρὶ παραδοὺς τὸ σωμάτιον τήν τε κόνιν κάλπει τινὶ ἐμβαλών, ἔπεμψε τῇ μητρὶ αὐτοῦ καταθάψαι, ἐν Ἀντιοχείᾳ διατριβούσῃ.

5) O. Hirschfeld, l. c. (s. a. 1) p. 467; P. v. Rohden, PW II 2450.

6) Re vera Caracalla undetriginta annos quattuor dies natus decessit, W. Reusch, l. c. p. 55. commutavitne Eutropius XXXANN cum XXXXIII??

7) Id altero argumento me firmare posse nova in commentatione spero.

(cfr. App. I, p. 60), cognosci potest. et Eutropi ipsius verba funus Romae factum esse indicant, cum *funus publicum decernatur a senatu vel ordine postulante aliquo*[1]) sive in urbe Roma sive in municipio aliquo. de funere publico Romae acto videlicet Eutropius loquitur. sed cum nomen Romae omiserit, tota eius oratio obscurior facta est. vix enim e verbis eius quispiam intellexerit Romae esse Caracallam sepultum. itaque Paeanius haec sic transtulit: ἐγένοντό τε αὐτῷ τὰ νενομισμένα παρὰ τοῦ στρατοῦ, falso eum in ipsis regionibus quibus interfectus est ab exercitu humatum esse ratus. idem vitium cum Festus commiserit c. 21 (18, 21) *expeditionem in Persas parans in Osroena apud Edessam propria morte*[2]) *obiit et ibidem sepultus est,* — iam hac re sola demonstrari existimaverim Eutropium a Festo esse exscriptum.[3])

Cum vero apud Eutropium quod altero loco desideratur altero perperam additum sit, excerpta ab Eutropio confusa esse apparet. et fontis verba eum hunc in modum exscripsisse puto: *ANTONINI CAR. corpus de Perside Romam relatum est* vel. sim., quae pro *ANTONII GOR. corpus . . .* accepit.[4]) sed utcumque res se habet, siquis miretur hanc conscribendi breviarii rationem, de simili, quod s. p. 43 sq. attuli ex Festo, exemplo moneo. et cum in fonte Eutropi res recte dispositas esse dixerimus, Eutropium ipsum hoc vitium commisisse quam verisimillimum est. quae cum ita sint, tam Festus c. 22 (19, 6) et Hieronymus Abr. 2260 (217, 6)[5]) quam SHA XIII Ant. Car. 9, 1 (190, 19) breviario Eutropi usi sunt.

---

1) Fr. Vollmer, De funere publico Romanorum, JclPh. Suppl. 19 (1893), p. 321 sqq. — cfr. quos locos praebet Thes. l. L. VI 1 1604, 35 s. v. *funus*.

2) Cfr. SHA XXIV tyr. trig. 27, 2 (126, 4) *morte sua esse consumptos.* sed Caracallam *secedentem ad officia naturalia a milite qui quasi ad custodiam sequebatur interfectum esse* (Epit. 21, 6; p. 156, 23) constat. quamobrem Meibomius coniecit *propera morte,* cfr. Tac. ann. I 3 (2, 23 A.) *L. Caesarem . . . Gaium . . mors fato propera . . abstulit.* quam coniecturam firmari posse puto hac ratione: Iordanes enim in opere illo de summa temporum vel de origine actibusque gentis Romanorum (a. 551), ubicumque artius fontes secutus est, cum in iis quo quisque imperator genere mortis obisset dictum erat velut morbo apoplexi etc., id ad verbum fere excepit. hoc si quis velit examinare, ipse Iordanis verba cum textu fontium quos Mommsenus in margine adnotavit comparet. sed de Caracalla Iordanes 227 haec tantum ex Festo sumpsit: *hic etenim imperator, dum contra Persas movit procinctum Osroene Edessa defunctus est.* non igitur distincte *propria morte* sed *propera morte* eum legisse verisimile est.

3) Hier. verba Abr. 2233 (213, 21) *Antoninus interficitur inter Edessam et Carras anno aetatis XLIII* ex chronicis quibusdam fluxerunt, cfr. Chron. a. 354 (Chr. Min. I 147, 5) *excessit inter Edessam et Carras.* ea ab Hieronymo iam ex Eusebio sumpta esse verisimile est, cfr. Sync. p. 672, 12 Dd. ἀναιρεῖται δόλῳ πρὸς Καρίαις καὶ Ἐδέσσῃ, Anon. Matr. 52, 1 ἐσφάγη μεταξὺ Βαίων καὶ Ἐδέσσης. et annum aetatis ex Eutropio additum esse putaverim, cfr. Mommsen, Ges. Schr. VII, p. 609; R. Helm, Rh. Mus. 76 (1927), p. 285.

4) De nomine Antonii Gordiani cfr. CIL VIII 848. 4218; PW I 2630. ceterum quidam Gordiano Antonini nomen tribuerunt, cfr. SHA XX Gord. 4, 7 (32, 28) *tantum autem Antoninos dilexit* (Gordianus senior), *ut sibi quoque ut multi dicunt Antonini ut plerique autem adserunt Antonii nomen adscripserit* et Vict. 26, 1 (104, 17) ubi alter codex *Anthonius Gor.* alter *Antoninus Gor.* praebet.

5) Cfr. s. p. 34; Rudolfus Helm, l. c. s. Hieronymum ex communi fonte, quo usus

6. TRACTATUR HISTORIAE AUGUSTAE LOCUS, QUO CAROLUS WAGENER MOMMSENI SENTENTIAM FIRMABAT

Facile nunc argumentum illud refutari posse existimo, quo Carolus Wagener[1]) Mommseni sententiam se firmare arbitratus est. qui ea quae de rebus a Caro gestis apud Eutropium Festum Aurelium Victorem Scriptorem Historiae Augustae leguntur inter sese comparavit.

R. F. 24 (19, 22)	Eutr. IX 18, 1 (160, 13)	Aur. Vict. 38 (116, 16)	SHA XXX Car. 8, 1 (II 238, 25)
Cari imperatoris victoria de Persis nimium potens superno numini visa est. nam ad ***invidiam*** *caelestis indignationis pertinuisse credenda est. is enim ingressus Persiden* ***quasi nullo obsistente*** *vastavit. Cochen et Ctesiphontem urbes Persarum nobilissimas cepit. cum victor totius gentis castra supra Tigridem haberet, vi divini fulminis ictus interiit.*	(Carus) *ad orientem profectus res contra Persas nobiles gessit. ipsos proelio fudit,* *Cochen et Ctesiphontem urbes notissimas cepit, et cum castra supra Tigridem haberet, vi divini fulminis periit.*	*Carus . . in Mesopotamiam pergit protinus, quod ea Persarum quasi solemni bello subest. ubi fusis hostibus, dum gloriae inconsulte avidior Thesiphonta urbem Parthiae inclitam transgreditur, fulminis tactu conflagravit. id quidam iure ei accidisse referunt. nam cum oracula docuissent adusque oppidum memoratum perveniri victoria licere, longius delatus poenas luit. proinde arduum fatalia devertere eoque futuri notio superflua.*	*. . contra Persas profectus* ***nullo sibi occurrente*** *Mesopotamiam Carus cepit et ⟨C⟩tesiphontem*[2]) *usque pervenit . . verum cum avidus gloriae . . longius progressus esset ut alii dicunt morbo, ut plures fulmine interemptus est.*[3]) 9, 1 (239, 23) *plerique dicunt vim fati quandam esse, ut Romanus princeps Ctesiphontem transire non possit, ideoque Carum fulmine absumptum, quod eos fines transgredi cuperet, qui fataliter constituti sunt.*

Hic Carolus Wagener, cum Festus neque invidiam caelestium neque illud *quasi nullo obsistente* ex Eutropio sumere potuerit, — illud apud Aurelium Victorem et Scriptorem Historiae Augustae, hoc praeter Festum apud solum Scriptorem HA verbis *nullo sibi occurrente* narratur, — Festum communem Eutropi Victoris Scriptoris Historiae Augustae fontem secutum esse existimat. non desunt scilicet loci, quibus verba vel iuncturae singulae Festi ex Eutropi libris sumi non potuerint. sed cum Festum pluribus fontibus usum esse et excerpta diversa confudisse demonstrarim[4]), huius-

esset etiam Eutropius, omnia hausisse opinatus est, cui assentitur A. Alföldi, Z. f. Num. 38 (1928), p. 168. 172, 1. id me iis quae supra exposui refutasse puto, ne plura promam, quae mihi sunt parata. ea quidem in aliud tempus differo. ceterum ipse Helmius cum certis argumentis careret, satis caute de cunctis quae statuit locutus est.

1) Phil. 45 (1886), p. 534.

2) Nomen Ctesiphontis saepius apud SHA in T(h)esiph. corruptum.

3) Cfr. F. Graebner, Eine Zosimusquelle, Byz. Z. 14 (1905), p. 109.

4) Ut simili ratione Hieronymum modo Eutropi modo Festi vocabulis usum esse

cemodi res ex fonte altero deprompta esse consentaneum est. quem fontem alterum cum aliis locis tum hic illum fontem communem fuisse ostenditur, qui dicitur historia Enmanniana.[1])

SCRIPTOR H. A. FESTUM EXSCRIPSISSE VIDETUR

Sed si diligentissime textus interpretamur, Scriptorem Historiae Augustae a ceteris omnibus differre videmus. nam non modo Eutropius et Victor Persas proelio fusos esse aperte dicunt, sed etiam Festus, qui verbis *nullo obsistente*[2]) illud *quasi* adiecerit, certamen esse commissum non negat.[3]) sed cum ornatu quodam verborum rem describit, quem Festum hoc loco ex fonte non hausisse, sed ipsum persecutum esse etiam eo firmatur, quod altero loco per *quasi* coniunctionem iterum sententiam in oratoris modum formatam de suo adiunxit: c. 22 (18, 23) *Aurelius Alexander quasi fato quodam in exitium Persicae gentis renatus, iuvenis admodum, Romani gubernacula suscepit imperii* ex Eutr. VIII 23 (148, 26) *Successit huic* (Heliogabalo) *Aur. Alexander ab exercitu Caesar, a senatu Augustus nominatus, iuvenis admodum*, . . contra Scriptor Historiae Augustae omnino non pugnam factam esse dicit. nam quamquam verbis isdem quibus Festus usus est, omisso vocabulo *quasi* sensum totum mutavit. quin etiam Scriptorem Historiae Augustae proelium factum fusosque Persas in fonte non vidisse certum est, cum, si vidisset, *nullo occurrente* Mesopotamiam captam esse vix dixisset. talis est Festi textus et cum haec propria Festi verba esse verisimile sit[4]), ex textu Festi

---

ostendi, ita plura eiusmodi exempla in Epitoma illa Victoris inveniuntur, ex quibus unum profero. Epitomes scriptor et Aurelii Victoris de Caesaribus libellum et Suetonii de vita Caesarum libros adhibuit (vel opus huic simillimum):

Suet. Cal. 10, 2	Vict. Caes. 3, 7	Epit. 3, 3
tantique in avum et qui iuxta erant obsequii, ut non immerito sit dictum nec servum meliorem ullum nec deteriorem dominum fuisse.	*inmania .. parendi specie obtexerat, uti merito vulgaretur neque meliores famulos neque atrociorem dominum illo fuisse.*	*in principatu vero talis, ut non immerito vulgaretur atrociorem illo dominum non fuisse.*

hoc loco Epitomes verba cum plurima ex Victoris libello sumpta et constricta sint, illud *non immerito* ex Suetonii textu inrepsisse videtur. cfr. E. Wölfflin, ALL. 12 (1902), p. 445: „So hat der Epitomator in den julischen-flavischen Kaisern cap. 1—11 nichts Besseres zu tun gewußt, als die den Caesares entnommenen Stellen mit Excerpten aus Sueton zu versetzen."

1) Potius Chronicon Caesarum, vid. infra App. I, p. 60. quo ex fonte e. g. fluxit illud *praefectus praetorio* in capite Festi 22 (19, 4), vid. s. p. 21. ceterum de invidia deorum et oraculo illo, quod Victor et SHA locis supra allatis referunt, cfr. quae Andreas Alföldi, Z. f. Num. 38 (1928), p. 167 adversatus Normano Baynes, The HA., its date and purpose, Oxford 1926, p. 63. 103 disseruit.

2) De varia lectione huius loci cfr. infra App. II, p. 64.

3) Etiam Zonaras XII 30 (156, 14) proelium tradidit.

4) Etiam in Historia Augusta haec iunctura non nisi hoc loco invenitur, sed id minoris hic momenti est.

per Scriptorem Historiae Augustae hausta, sed neglegenter et male intellecta esse existimo.[1])

Quae si probantur etiam altero loco Festi breviarium a Scriptore Historiae Augustae usurpatum esse videtur:

Eutr. IX	Ruf. Festus 23 (19, 12)	SHA XXII Val. 4, 2 (74, 23)
c. 7: *Valerianus in Mesopot. bellum gerens a Sapore . . superatus est, mox etiam captus apud Parthos ignobili servitute consenuit.* 8, 2 *Parthi Mesopot. invasa Syriam sibi coeperant vindicare.* 10 *defensa Syria recepta Mesopotamia usque ad Ctesiph. Odenathus penetravit.*	*Valerianus congressus a Sapore . . superatus est et captus in dedecori servitute consenuit. sub Gallieno . . Mesopotamia invasa etiam Syriam sibi Persae coeperant vindicare, nisi, quod turpe dictu est, Odenathus decurio Palmyrenus conlecta Syrorum agrestium manu*[2]) *acriter restitisset et fusis aliquotiens Persis non modo nostrum limitem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem . . penetrasset* Cfr. Iord. Rom. 290 (ex Festo); Hier. Abr. 2282 (221, 10); Oros. VII 22, 12.	*Sed Valeriano apud Persas consenescente* *Odenatus Palmyrenus collecto exercitu rem Romanam prope in pristinum statum reddidit.* Cfr. XXIII Gall. 12, 1; XXIV tyr. trig. 15, 2.

Quae si recte disputata sunt, post annum 371/372 — quo fere Festi libellum editum esse infra p. 58 sq. exponam — Scriptorem Historiae Augustae opus suum confecisse apparet et quae Normanus Baynes nuper statuebat, refutantur.[3])

7. QUAE FESTUS EX EUTROPIO SUMPSERIT

Iam ne plura dicam, breviter, quae ex Eutropio Festus maximam partem exscripserit, comprehendam. sunt enim capita inde a vicesimo, si non ab ultima capitis undevicesimi sententia, quae est: *Pacatis gentibus orientis Augustus Caesar etiam Indorum legationem primus accepit* (cfr. p. 66), usque ad capitis vicesimi quinti verba *cucurrerit purpuratus.* quae sequuntur de Diocletiano verba ex altero fonte et uberiore neque Eutropi dissimili sumpta sunt. ex eodem fonte fluxisse videntur, quae in

1) Simile vitium Scriptor HA leviter admisit X Sev. 18, 1 (150, 7) *Adiabenos in tributarios coegit.* haec ex Victoris libro sumpta sunt c. 20, 16 (99, 14) *Adiabena quoque ni terrarum macies despectaretur in tributarios concessisset.* sed Victor Adiabenos tributarios factos non esse per coniunctivum indicavit, quod Scriptor HA neglexit. quo factum est, ut sensus apud SHA mutaretur. cfr. supra p. 32 adn. 2.

2) Cfr. Fest. c. 6 (8, 19) *Postea Gallos cum victoria remeantes Camillus, qui in exilio erat, collecta de agris multitudine oppressit.* verba *collecta — multitudine* et hic et similia in cap. 23 supra exscripta Ricardus Jacobi (De Festi breviarii fontibus, Bonn 1874, p. 28) Festum de suo addidisse censet. contra Gustavus Reinhold (Das Geschichtswerk d. Livius etc., Progr. Berlin 1898, p. 20) gravioribus argumentis allatis verba capitis 6 ex fonte fluxisse contendit. sed illa capitis 23 nescio an a Festo ipso adiuncta sint. *exercitu* pro *agrestium manu* Scriptor HA. posuit sicut alibi magnum Victoris verborum circuitum paucis expressit. cfr. e. g. s. adn. 1. ceterum Scriptor HA. verbum manus non nisi quattuor locis adhibuit. e quibus duo in oratione et epistula exstant. saepissime vocabulo exercitus usus est. iunctura *collecto exercitu* iterum invenitur XXVI Aur. 28, 1 (170, 21).

3) l. c. (s. p. 56,1): post annum 360 et ante annum 363 editam esse censet.

capite decimo quarto inde a verbis *Sed post sub Antoninis* . . de Mesopotamia modo amissa modo recepta[1]) deque Diocletiano similia atque in capite vicesimo quinto leguntur, cum quae antecedunt de Traiano Hadrianoque ex Eutropio sumpta sint. sed ut in capitibus prioribus usque ad undevicesimum (cfr. p. 41 et 49), ita etiam in iis capitibus quae insequuntur usque ad finem libelli nonnulla ex Eutropi breviario fluxerunt, velut c. 28 (21, 19): *Is* (Iulianus) *enim ingenti apparatu utpote totius orbis regnator infesta in Parthos signa commovit.* ~ Eutr. X 16, 1 (180, 7) *Hinc Iulianus rerum potitus est, ingentique apparatu Parthis intulit bellum, cui expeditioni ego quoque interfui.*[2]) — Eutr. X 17, 1 (181, 10) (Iovianus) *pacem . . fecit, multatus finibus ac nonnulla imperii Romani parte tradita. quod ante eum annis mille centum et duobus de viginti fere, ex quo Romanum imperium conditum erat, numquam accidit.* ~ Festus c. 29 (22, 18) *conditionibus quod numquam antea accidit dispendiosis.* quod quaesiverit quis, cur Festus inde a Diocletiano alterum fontem secutus sit, Eutropius, qui in libro decimo bella cum Persis sub Constantino (8, 2) Constantio (10, 1) Iuliano (16, 1/2) Ioviano (17, 1/2) gesta brevissime percurreret, parum ei suppeditavit. exempli gratia cum Eutropius per sententiam secundariam bellum a Constantino paratum exiliter attingeret *(Bellum adversus Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, uno et tricesimo anno imperii* etc. *obiit)*, Festus totum caput 26 hac in re consumpsit.

8. QUO TEMPORE EUTROPIUS ET FESTUS SCRIPSERINT

Postquam Festi libellum post Eutropi libros conscriptum esse demonstravi, breviter de tempore, quo Eutropi breviarium editum sit, agere in animo habeo. cum de Eutropi tempore huc usque nihil certum dici potuerit, Festum et post annum 369 et circa annum 371 scripsisse inde concludimus, quod in fine libelli c. 30 (23, 2) sic imperatorem Valentem[3]) adloquitur: *ut ad hanc ingentem de Gothis etiam Babyloniae tibi palma pacis accedat.* pacem cum Gothis factam esse aestate anni 369 constat.[4]) quo bello peracto Valens una cum fratre Valentiniano cognomen Gothici Maximi acceperunt.[5]) deinde Valens contra Persas profectus, postquam

1) *Sed post sub Antoninis duobus Marco et Vero ac Severo Pertinaci ceterisque principibus Romanis, qui adversum Parthos eventu vario dimicarunt, quater amissa quater recepta Mesopotamia est* ~ Leo Gramm. chron. p. 81, 7 οὗτος ὁ Κάρος τὴν Περσίδα καὶ Κτησιφῶντα παρέλαβε τοῦτο ἤδη τέταρτον ἁλωθέντων ὑπὸ Τραϊανοῦ ὑπὸ Βήρου Σευήρου καὶ Κάρου = Cedr. 464, 6 i. e. Symeon Mag. hi Ioannem Antiochenum adhibebant (E. Patzig, Die röm. Quellen des salmas. Ioa. Ant., Byz. Z. 13 (1904), p. 18), qui ipse certe fontibus Latinis velut Eutropio (Patzig p. 21) usus est. cfr. etiam C. de Boor, Röm. Kaisergeschichte in byz. Fassung, Byz. Z. 2 (1893), p. 14 sq. et infra p. 66 sq.

2) Cfr. E. Wölfflin, ALL. 13 (1904), p. 73, M. Galdi, L'Epitome nella letteratura latina, Napoli 1922, p. 241.

3) Cfr. Martin Schanz, Gesch. d. röm. Literatur IV, p. 83.

4) Ernst Stein, Gesch. d. spätröm. Reiches, Wien 1928, p. 287.

5) Herm. Dessau, Inscr. Lat. I, Berlin 1892, n. 771, quem titulum exeunte anno

varia cum iis proelia commisit, anno 371 indutias iniit[1]) atque in hiberna Antiochiam revertit. eo ipso igitur tempore, cum qui belli eventus esset futurus in suspenso esset, opus Rufi Festi in lucem editum esse necesse est. cum vero etiam Eutropius breviarium Valenti miserit, intra annum 365 et fere 370 conscriptum est, si Festum non minus annum in libello conficiendo consumpsisse agnoscimus. sin vera est quae invenitur in duobus Eutropi codicibus deterioribus Leydensi et Bertiniano inscriptio *Domino Valenti Gothico Maximo*, post autumnum anni 369 editum est, ita ut intra annum 369 exeuntem et aestatem fere anni 370 foras datum sit.[2]) quae quamquam satis firmari nequeunt, quoniam praescriptio illa operis Eutropiani nimis incerta est, tamen proferenda esse existimavi.[3])

---

369 positum esse ostenditur; cfr. Otto Seeck, Gesch. d. Unterganges d. antiken Welt V, Berlin 1913, p. 58, append. ad t. V, p. 448.

1) Ernst Stein, Gesch. d. spätröm. Reiches, p. 288.

2) Anno 369 Eutropium scripsisse adhibita inscriptione supra allata dixit Otto Seeck, praef. Symm. p. CXXXIII, quem secuti sunt Hermannus Peter, Gesch. Literatur über die Kaiserzeit II, Leipzig 1897, p. 133, Ernestus Hohl, Klio 11 (1911), p. 228.

3) Quaesiverit quis cur tam brevi temporis intervallo duo breviaria edita eidemque imperatori missa sint. Eutropius quippe qui ipse expeditioni quam Iulianus contra Persas suscepit interfuerit (X 16, 1), facta Iuliani aperte in maius extollit. Valens vero cum denuo Persis bellum inferret quia mox se gloriam Iuliani adaequare non posse cognovit, id spectavit, ut fama Iuliani minueretur. itaque Festus considerate dicit c. 28 (21, 18) *Iuliano in externos hostes expertae felicitatis principi adversum Persas modus defuit* et similia, nimirum ut omnes Valentis moderationem et sapientiam admirentur.

APPENDIX I

DE CHRONICIS CAESARUM

Etsi de communi fonte breviariorum quae exeunte saeculo quarto conscripta sunt, cum nova et gravissima quaestione opus esset, agere in animo non habeo, tamen quid de eo sentiam, breviter disputabo. primus Alexander Enmann in illustrissima illa commentatione quae Eine verlorene Geschichte der römischen Kaiser inscribitur[1]) communem fontem quendam Historiae Augustae Aurelii Victoris Eutropi fuisse contendit. etiam in Epitoma illum fontem adhibitum esse, postquam complures opinati sunt, firmabat Ernestus Hohl.[2]) postea autem e numero eorum qui Historiae Augustae operam dabant, nonnullae dubitationes adductae sunt et Johannes Hasebroek[3]) omnino non fuisse illam historiam Enmannianam quae dicitur censuit. eodem fere tempore Alfredus von Domaszewski[4]) nova ratione ac via Historiam Augustam tractare instituit. partes enim quasdam, quas „echte Überlieferung" nominat, seclusis iis quae addiderit compilator nescio quis de suo vel de Eutropio Victore aliisque fontibus investigandas esse dicit. at hac ratione difficultates dubitationesque minime sublatas esse video.

Sed quamvis sint vera, quae illi de historia Enmanniana existimaverunt, relinquitur quomodo explicetur consensus inter Eutropium Victorem Epitomam, praesertim cum Eutropius et Victor commune vitium praebeant, cum pro tribus Gordianis perperam duos commemorent.[5])

---

1) Phil. Suppl. 4 (1884), p. 337 sqq. eodem fere tempore simile de vitis imperatorum inde ab Augusto usque ad Domitianum statuit A. Cohn, Quibus ex fontibus S. Aurelii Victoris et libri de Caesaribus et Epitomes XI capita priora fluxerint, Diss. Berlin 1884.

2) Vopiscus u. d. Biographie des Kaisers Tacitus, Klio 11 (1911), p. 178 sqq., BursJber. 200 (1924), p. 200, BphW. 47 (1927), c. 713, cui nuper assensus est A. Alföldi, Z. f. Num. 38 (1928), p. 172.

3) Die Fälschung der Vita Nigri u. Vita Albini, Heidelberg 1916, p. 6, cui assentitur H. Dessau, WclPh. 35 (1918), c. 392. cfr. A. Schenk Graf von Stauffenberg, Die röm. Kaisergeschichte bei Malalas, Stuttgart 1931, p. 508, a. 2; A. Rosenberg, Einleitung u. Quellenkunde zur röm. Gesch., Berlin 1921, p. 229.

4) Sber. Heidelb. Ak. 1916—1920.

5) Nam Victorem non fontem fuisse Eutropi certum est, cum nulla sermonis Victoris vestigia apud Eutropium inveniantur, quamquam eum saepius propius fontis verba secutum esse constat. cuius rei sunt multa exempla: cfr. A. Cohn, l. c. pag. 41 Eutr. VII 9 (118, 16) *ipsos quoque* (sc. Germanos) *trans Albim fluvium summovit* . . . (Persae) *reddiderunt etiam signa Romana quae Crasso victo ademerant* ~ Suet. Aug. 21 *Germanosque ultra Albim fluvium summovit . . Parthi . . . signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.*

et hinc quidem Alexander Enmann l. c. orsus erat. tamen Ernestus Hohl (Klio 11 [1911], p. 194) id vitium ex historia illa Enmanniana fluxisse negat. nam cum Epitomatorem hoc fonte usum esse contenderet, qui recte tres Gordianos praeberet, non fieri posse videbatur, ut iam in fonte communi vitium commissum esset. praeterea etiam in Chronographo a. 354 (Chr. Min. I p. 147) recte tres Gordianos memoratos esse eumque ab Eutropio adhibitum esse[1]) monuit. tamen magnam ei difficultatem attulit, quomodo consensum inter Victorem et Eutropium explicaret.

Sed in chronicis similibus fere iis, ex quibus chronicon urbis (a. 334) Chronographi a. 354 exscriptum est, idem vitium commissum esse demonstrabo. inter Armenicas enim Eusebii versiones nobis traditum est fragmentum catalogi genera mortis imperatorum continens. iam Mommsenus[2]) cognationem quandam statuerat inter Chronographum a. 354 et Armenicam illam versionem. ibi haec scripta sunt (Eusebius Werke V, Chronik aus dem Armenischen v. Josef Karst, Leipzig 1911, p. 155):

Maximinos . . . .
Gordianos erdrosselte sich selbst in Aphrike[3])
Pupinios und Balbinios ⟨wurden⟩ getöt⟨et⟩

hic deficit fragmentum. quibus addo textum Chronographi a. 354 p. 147,26.

Maximinus . . . . .
duo Gordiani imper. dies XX. excesserunt Africae
Pupienus et Balbinus imper. dies XCIX. cong. dederunt X̶ CCL. occisi Romae
Gordianus imper. ann. V m. V d. V. cong. ded. X̶ CCCL. hoc imp. mula hominem comedit. agonem Minervae instituit. excessit finibus Partiae.

commemorantur igitur in versione Armenica duo tantum Gordiani, omissus est Gordianus iunior filius senioris. quamquam multa hac de re mihi exponenda sunt, finem faciam. verisimillimum esse contendo a Victore et Eutropio chronica quaedam adhibita esse, ex quibus tabula illa Armenica exscripta est. ex meliore fonte eorundem chronicorum chronicon urbis Chronographi a. 354 fluxit. etiam quas viderunt iam alii cognationes inter Chronographum a. 354 et Eutropium aliosque (vid. s. p. 33 adn. 4) non ex ipso Chronographo a. 354, sed ex illis Chronicis Caesarum fluxisse existimo.

At Ernestus Hohl[4]) Alexandrum Enmann secutus fontem illum communem secundum Suetonii modum conscriptum esse contendit. ego po-

1) Vide supra p. 33 adn. 4, cfr. praeterea O. Seeck, PW III 2480, contra A. Enmann, l. c. (s. p. 60), p. 417.

2) Chron. Min. I, p. 141 sq. quae ibi Mommsenus disserit, digna sunt, quae legantur, et semper fructum capias ex praefationibus illis, quas Mommsenus Chronicorum voluminibus inseruit. cfr. Ges. Schr. VII, p. 558. 609 et A. Schöne, l. c. (s. p. 34), p. 271.

3) HA XX Gord. 16, 3 (41, 21) *laqueo vitam finivit,* cfr. H. Schiller, Gesch. der römischen Kaiserzeit, Gotha 1883, I p. 789.

4) Klio 11 (1911), p. 188 et passim, cfr. A. Alföldi, l. c. (s. p. 60,2), p. 171 sqq.

tius Hieronymi exemplo utar. qui ut indicia annorum rerumque gestarum descriptionem proponit, ita de moribus ingenioque imperatorum pauca addere non praetermisit: Abr. 2232 (213, 18) *Antoninus tam inpatiens libidinis fuit, ut novercam suam Iuliam uxorem duxerit.* Abr. 2381 (244, 9) *Valentinianus egregius alias imperator et Aureliano moribus similis, nisi quod severitatem eius nimiam et parcitatem quidam crudelitatem et avaritiam interpretabantur.*[1])

At quid de Epitoma iudicamus, in qua recte tres Gordiani exsistunt? fieri potuisse puto, ut Epitomator verum ex aliis chronicis et melioribus sumeret. accedit alterum argumentum, quo plane haec difficultas tolletur. sed hic exponere, cum longa quaestione opus esset, praetermitto. etiam in Historia Augusta haec vel similia chronica[2]) adhibita esse praeter Eutropium Victorem Festum certis sermonis indiciis demonstrari puto.[3])

Quae cum ita sint, vitas imperatorum inde a Severo Alexandro fere ex chronicis illis conscripta esse a Victore Eutropio[4]) Epitomatore contendo nec de iis imperatoribus ullum librum alium Latina lingua conscriptum saeculo quarto fuisse existimo. certe SHA se de Aureliano Graecos, non Latinos libellos lectitavisse professus est.[5]) argumenta alia

---

1) Gravissimus locus, cfr. Amm. XXX 8, 8 (549, 15), HA. XXVI Aur. 31, 4 (172, 16), Epit. 45, 5 (172, 21 sq.) et quae Edmundus Groag, PW V 1350 aliique hac de re dixerunt.

2) Id moneo non singula chronica, sed complura inter sese modo similiora modo dissimiliora exstitisse verisimile esse, sicuti Medio Aevo. recte id vidit E. Klebs, Die Sammlung der SHA, Rh. Mus. 45 (1890), p. 462,1.

3) Iam Alfredus v. Domaszewski, Die Daten der SHA von Sev. Al. bis Carus (Sber. Heidelb. Ak. 1917, 1), p. 3 indicia temporis, quae invenimus apud SHA, sumpta esse ex fonte Chronographi a. 354 dixit. sed non modo temporis indicia, verum etiam rerum gestarum descriptio paucis locis inde hauriebatur.

4) Theodorus Birt, Das antike Buchwesen, Berlin 1882, p. 383, 3 Eutropi breviarium ex maximo quodam opere excerptum esse inde conclusit, quod breviarium Eutropi in libros tributum est decem. itaque unius libri modus minor est quam convenit; partitionem igitur acceptam esse ex opere uberiore censet. sed liber Eutropi IX versus circiter CCCXX editionis Teubnerianae continet, Quadrigae tyr. Scriptoris HA. CCCXXXV versus habent. tamen SHA eas [XXVIII Prob. 24, 7 (221, 19)] librum appellavit, brevem quidem.

5) SHA XXVI Aur. 1, 3. 4 (149), cfr. 1, 9 (150, 4). XXVIII Prob. 1, 5 (202, 21) *ego ille, a quo dudum solus Aurelianus est expetitus.* Eutropio et Victore scilicet usus est, sed eos nominare non licebat, cum SHA se ineunte saeculo scribentem faceret. ergo cum tam caute SHA nullam vitam Aureliani Latina lingua conscriptam se legisse contendat, rerum scriptores saeculi quarti exeuntis nullam eiusmodi vitam nosse videntur. nam SHA falsa quidem scriptorum nomina, quorum permulta praebet, afferre poterat, cum qui exeunte saeculo vivebant, eorum libros perisse interim existimare possent. sed si re vera Latina historia Diocletiani temporibus iam confecta esset, quae exeunte saeculo ab omnibus usurparetur, minime falsarius se eam ignorare profiteri debebat, cum omnem auctoritatem amisisset. auctoritatis autem egebat, qua de causa ipsa multorum scriptorum nomina aliaque auctoritatis adiumenta excogitavit. sed vitium illud in Gordianorum vita ipso initio saeculi quarti iam disseminatum erat, si modo illa series regum quae dicitur supra allata ab Eusebio ipso chronicis adiecta esset (Mommsen, Ges. Schr. VII, p. 609). non igitur fuit historia, unde sumeretur.

in posterum tempus differo. inde ab Augusto usque ad Domitianum librum quendam Suetoni simillimum vel potius ex Suetonio excerptum periocharum modo et nonnullis rebus auctum[1]) ab Eutropio Victore Epitomatore usurpatum esse ex iis quae Arthurus Cohn (l. c. p. 60) aliique de ea re disseruerunt, satis constat. multo maiores difficultates habent vitae ceterorum imperatorum. nonnullis locis apud SHA et Epitomatorem Marium Maximum fontem fuisse supra (p. 16 sqq.) dixi, alii vero alios adduxerunt. sed haec interim in medio relinquimus.

APPENDIX II

DE CODICIBUS FESTI

De codicibus Festi Wendelinus Foerster in praefatione editionis repetitis quae in dissertatione exposuit egit. duas codicum classes invenit, alteram meliorem a, alteram b deteriorem. sed postquam collationem codicis Escorialensis in lucem edidit (Wien. St. 1 [1879], p. 303 sqq.), codices classis b quippe quae ex Escorialensi fluxerit neglegendos esse censuit. quem secutus Carolus Wagener in editione sua (1886) Escorialensem ducem deterioris familiae habuit. quorum sententiam cum breviter examinarem, nonnulla inveni, quibus quae Foersterus statuit refutantur. hisce enim locis verba in Escorialensi desunt: p. 6, 4 *[consules]*; 8, 13 *cum [Gallis]*; p. 10, 3 *[Lucium]*; p. 12, 11 *confugiente[s parti]m*; p. 21, 19 *[modus defuit]*. sed codices familiae b haec vocabula omnia suo loco congruentes cum familia a habent. quod etsi nonnulla velut 8, 13; 12, 11 ex coniectura explenda erant, tamen vix explanari potest, si ex Escorialensi codices familiae b fluxerint. quid? p. 17, 11 haec in codicibus singulis leguntur:

E	**b**	**a**
deomnes quidam qui partis arsaces praeposuerat, ... libelli in quo scripti thesauri continentur optulit	*de omnibus* (sic et W 1) *quidam, quem Parthis Arsaces praeposuerat .. libelli in quo scripti thesauri continerentur obtulit*	*Donnes* (praeter W1) *quidam, quem Parthis Arsacis praeposuerat, .. libellum in quo conscripti thesauri continerentur obtulit*

quomodo hercle fieri potuit, ut rectae lectiones familiae b cum *quem* tum *continerentur* ex Escorialensi fluerent. itidem res se habet c. 15 (14, 23) *contenderint* a b, quod probatur clausula, cfr. supra p. 24 adn. 1; *contenderent* E.


Etiam de codice Bambergensi B aliter iudicandum esse existimo. cuius codicis condicionem meliorem iam Carolus Wagener in editione Festi (Leipzig-Prag 1886) cognoverat, tamen non satis diligenter investigaverat (cfr. etiam E. Wölfflin, ALL. 13 [1904], p. 69 sqq.). priore enim breviarii parte hic codex cum lectiones rectas tum vitia codicum GPW 1 praebet, velut c. 5 (8, 11) *Tingimauretania* BGP, *Tingitania Mauretania* EbW 1 — c. 7 (10, 3) *Lucium ancium* BG, *Lucium mancium* P, *Lucium mantuum* W 1; *Lucium ancilium* Eb; *L. Anicium* Livius — c. 13 (13, 19) *Romani* om. BGPW 1. et saepius hac in parte codex B rectum servavit, velut c. 4 (7, 16) *adtrito* BEb, *adtributo* GPW 1 (falsa lectio). quod codex Vindobonensis W 1 interdum cum Eb congruit, eum ex codice huius classis — quem W 2 esse ego opinor — correctum esse iam vidit Wendelinus Foerster praef. p. 4. inde a capite 15 fere usque ad c. 27 (20, 27) *maiori* codex B saepissime lectiones codicum Eb praebet, quin etiam uno loco c. 17 (16, 11) cum E solo habet *ut quia ardens* pro *scilicet qui ardens*

1) Similia in Periochis Livi invenerunt A. Klotz, Hermes 48 (1913), p. 551 sq.; E. Wölfflin, ALL. 11 (1900), p. 2. diligentius hac de re agere in animo habeo.

(GPW 1 b); c. 17 (16, 15) *admiratione* Bb (*ammiratione* E), rectum servarunt GPW 1 *administratione;* item res se habet c. 25 (20, 14) — c. 23 (19, 14 et 17) *dictum* BEb, *dictu* GPW 1, quod rectum videtur esse — c. 27 (20, 27) *maiori arte* B, *maiori morte* Eb, *acriori Marte* GPW 1 quod rectum est. hoc loco scriba codicis B ad codicem alterius classis revertit, cfr. c. 28 (22, 9) *ingynum* GPB *inguinum* EbW 1 et al. —

Paucis locis per mediam illam partem B cum Eb solis vestigia recti servavit, velut c. 24 (19, 25) *is enim ingressus Persidam* (*-em* b) *quasi nullo eam* (*ei* Eb) *obsistente vastavit* B Eb, *is enim ingressus est Persidam* ⟨*et* add. W 1⟩ *quasi nullo obsistente vastavit* GPW 1. scribendum est cum B *is enim ingressus Persidam quasi nullo obsistente eam vastavit.* cfr. c. 11 (12, 11) *Galatas persecutus est et confugientes partim in Olympum partim in Magabam montem . . de arduis* e o s *in plana detrusit* et al. scriba igitur codicis B vetustissimos utriusque classis codices ante oculos habebat.

Sed ne nimis extendam digressionem stemma codicum pono. diligentius vero hac de re me alio loco agere posse spero.



APPENDIX III

TRACTATUR LOCUS EUTROP. VII 10

In libro VII c. 10 (120, 3), quam praebet Eutropius sententiam: *Scythae et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt,* Paeanius sic vertit: πρὸς αὐτὸν καὶ Ἰνδοὶ πρεσβείαν ἔστειλαν, οὔπω πρότερον τὴν Ῥωμαϊκὴν βασιλείαν οὐδὲ ἀκοῇ δεδεγμένοι. omisit igitur verba *Scythae et* atque *munera et.* Suetonius (Aug. 21) haec sic refert: *Indos etiam ac Scythas* a u d i t u m o d o c o g n i t o s *pellexit ad amicitiam suam pop. que Romani ultro per legatos petendam*; dona legatorum describit Cassius Dio LIV 9, 8 (cfr. Flor. IV 12, 62). sed fortasse de diversis legationibus agitur, cfr. Ulrich Kahrstedt, Über Gesandtschaften aus fremden Ländern an römische Kaiser, in Friedlaender, Sittengeschichte, Leipzig 1921, p. 7 sqq. quas res Festus sic narrat: c. 19 (17, 18) *Augustus Caesar etiam Indorum legationem primus accepit* et Hieronymus Abr. 1991 (164, 11) *Indi ab Augusto per legatos*

amicitiam postularunt, quae desunt in codice Armenico Eusebii. cum vero Festum breviario Eutropi iam hoc loco usum esse verisimile sit (cfr. s. p. 57) et additamenta, quae Hieronymus textui Eusebii inseruit, ex Eutropio fluxisse Mommsenus (Quellen des Hier. p. 672 = Ges. Schr. VII p. 609 et Res gestae Divi Augusti, Berlin 1883, p. 133) demonstrarit (cfr. s. p. 54), vix cur tres qui Eutropium exscripserunt scriptores consentiant satis explicetur, nisi apud Eutropium verba *Scythae et* atque *munera et* postea esse addita agnoscamus. accedit huc, quod apud omnes qui Scythas memorant scriptores Indi priorem locum obtinent: Vict. Caes. 1, 7 (78, 4) *Felix adeo .. ut Indi Scythae Garamantes ac Bactri legatos mitterent orando foederi*; Epit. 1, 9 (134, 3) *Ad hunc Indi Scythae Garamantes Aethiopii legatos cum donis miserunt.* vix ex Victore fluxerunt (A. Enmann, Eine Gesch. d. röm. Kaiser, Phil. Suppl. 4 [1884], p. 495), sed potius ex fonte communi (A. Cohn, Quibus ex fontibus Aurelii Victoris . . . XI capita priora fluxerint, Berlin 1884, p. 43, cfr. p. 41.). cfr. vir. ill. 79, 5 (71, 2) *Indi Scythae Sarmatae Daci, quos non domuerat, dona miserunt.*[1])

---

1) De nominibus gentium variis temere per scriptores mutatis recte disseruit Alexander Enmann, l. c. p. 495. simili modo poetae, qui Augusti temporibus fuerunt nomina variarunt. in Monumento vero Ancyrano lat. V 50 sq. hae gentes enumerantur: *Ad me ex India regum legationes saepe missae sunt, numquam antea visae apud quemquam Romanorum ducem. Nostram amicitiam petierunt per legatos Bastarnae Scythaeque et Sarmatarum qui sunt citra flumen Tanaim et ultra reges, Albanorumque rex et Hiberorum et Medorum.*

Hoc utique pro certo habeo in legationibus, quas imperatores singuli acceperunt laudandis, nomina gentium saepius finxisse scriptores huius aevi. ea enim cum describerentur similibus apud diversos scriptores verbis rem expressam et locis quasi communibus exornatam esse videmus: Epit. in vita Ant. Pii 15, 4 (151, 19) *Quin etiam Indi Bactri Hyrcani legatos misere iustitia tanti imperatoris comperta*, quae cum verbis Suetonii in vita Augusti c. 21, 3 conveniunt: *qua virtutis moderationisque fama Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam .. per legatos petendam.* hae vero legationes quae ad Pium (138—161) venerunt, in Epitoma tantum memorantur. Appianus qui anno circiter 160 scripsit, in Praefatione Ῥωμαϊκῶν 7 fortasse rem adumbravit: τὴν ἀρχὴν ἐς ἄπειρον ἐκφέρειν ἐπὶ βάρβαρα ἔθνη πενιχρὰ καὶ ἀκέρδη, ὧν ἐγώ τινας εἶδον ἐν Ῥώμῃ πρεσβευομένους τε καὶ διδόντας ἑαυτοὺς ὑπηκόους εἶναι. sed num quis scriptor Indos πενιχρούς vocitarit dubitaverim. cfr. PW II c. 2508, 24 sqq. itidem gentes, quas auditu modo cognitas virtute sua Iulianus ut legatos mitterent commovit, apud Ammianum memorantur XXII 7, 9 (260, 20) *Haec eum curantem et talia commendabat externis nationibus fama, ut fortitudine sobrietate militaris rei scientia virtutumque omnium incrementis excelsum. paulatimque progrediens ambitum oppleverat mundi. proinde legationes undique solito ocius concurrebant: hinc Transtigritanis .. et Armeniis, inde nationibus Indicis certatim cum donis optimates mittentibus ante tempus, ab usque Divis et Serendivis . . . Mauris . . . Bosporanis aliisque antehac ignotis legationes vehentibus supplices.* nonnulla hic ex Herodiani libris Historiarum a fine Marci fluxisse contendit Ernestus Schneider, Quaestiones Ammianeae, Berlin 1879, p. 50/51: Herod. II 8, 7 ὡς γὰρ διιπταμένη ἡ φήμη πάντα ἐπῆλθεν ἔθνη . . . οὐδείς τε ἦν ὅστις οὐχ ἑκὼν ἐς τὸ ὑπακούειν αὐτῷ (Νίγρῳ) ἠπείγετο, πρεσβεῖαί τε ἀπ' ἐκείνων τῶν ἐθνῶν . . . . . ἐστέλλοντο. quod confirmari putat aliis ex eodem capite Herodiani verbis, quae similia apud Ammianum inveniamus: Herod. II 8, 2 (p. 55, 26 Stavenhagen) ∼ A. M. XXVI 2, 6 (393, 21); Herod. II 8, 3 (56, 8)

At Rudolfus Helm (Rh. Mus. 76 [1927], p. 156) Hieronymi verba ex Eusebio fluxisse censet, quoniam legatio Indorum isdem fere verbis apud Syncellum p. 589, 1 et 11 (C. S. H. B.) praebetur. sed si totum Syncelli locum spectamus, res aliter se habere videtur:

Sync. 588, 18

Τότε καὶ Πέρσαι Ῥωμαίοις σπείσασθαι παρεκάλεσαν ὁμήρους Αὐγούστῳ πέμψαντες. τὸν γὰρ Αὐγούστου Καίσαρος ἔκγονον Κλαύδιον τοὔνομα μαθόντες εἰς Ἀσίαν ὑπ' αὐτοῦ σταλέντα δόλῳ σφαγῆναι παρεσκεύασαν ὑπὸ στρατιώτου τινὸς Πέρσου δείξειν ἐπαγγειλαμένου χρημάτων θησαυρούς. διὸ μάλιστα περὶ τῆς εἰρήνης πρεσβεύουσι τὴν εἰρημένην ἐπιβουλὴν ἀπομνύμενοι. τότε καὶ Πανδίων ὁ τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς ἐπεκηρυκεύσατο φίλος Αὐγούστου γενέσθαι καὶ σύμμαχος.

∼ p. 589, 11

Eutr. VII 9 (118, 19) *Armeniam a Parthis recepit, obsides quod nulli antea Persae ei dederunt. reddiderunt etiam signa Romana quae Crasso victo ademerant. [Scythae et] Indi quibus antea Romanum nomen incognitum fuerat, [munera et] legatos miserunt.*

Ruf. Fest. c. 19

Sub Octaviano Caesare Augusto Armenia cum Parthis conspiravit. Claudius Caesar nepos Augusti cum exercitu missus ad Orientem cum pro maiestate Romani nominis facile cuncta sedasset atque ei se Armenii qui tunc temporis validiores erant cum Parthis dedissent iudicesque ex instituto Pompei praedictis gentibus Claudius Caesar praeficeret, Donnes quidam quem Parthis Arsacis praeposuerat, proditione simulata libellum in quo conscripti thesauri continerentur obtulit. quem cum imperator Romanus legeret intentius, cultro Claudium adgressus vulneravit. percussor quidem a militibus confossus est. Claudius ex vulnere regressus in Syriam obiit. Persae ad satisfactionem tam audacis admissi obsides tunc primum Oct. Caes. Augusto dederunt et erepta sub Crasso signa retulerunt. pacatis gentibus orientis Aug. Caesar etiam Indorum legationem primus accepit.

Flor. II 32

Ad orientem plus negotii cum Armeniis. huc alterum ex Caesaribus nepotibus suis misit. ambo fato breves, set alter inglorius. Massiliae quippe morbo Lucius solvitur, in Syria Gaius ex volnere occubuit, cum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recepit. Armenios . . Pompeius adsueverat, ut rectores a nobis acciperent. intermissum ergo ius per hunc recuperatum non incruento, nec multo certamine. quippe Donnes quem rex Artageris praefecerat simulata proditione adortus virum intentum libello, quem ut thesaurorum rationes continentem ipse porrexerat, stricto repente ferro subiit. et tunc quidem Caesar recreatus ex vulnere in tempus, set† . . ceterum barbarus undique infesto exercitu oppressus gladio et pyra, in quam se percussus inmisit, superstiti etiam nunc Caesari satisfecit.

Cfr. Suet. Aug. 21, 3; vir. ill. 79, 4; Victor 1, 7; Epit. 1, 8; A. Cohn l. c. (s. p. 14) p. 43.

Rufius Festus hic et Florum (cfr. A. Eussner, Phil. 37 [1877], p. 157, Wölfflin, ALL. 13 [1904], p. 78 sqq.) et Eutropium, quem inde a capite 20 per historiam Caesarum plerumque secutus est, usurpasse videtur. sed

∼ A. M. XIV 10, 15 (30, 20); praeterea p. 30, 21 ∼ Herod. II 10, 8 (63, 3) etc. quibus comparatis cum plurima et apud Herodianum et apud Ammianum Marcellinum in orationibus exstent, vix ex Herodiano ea Ammianum sumpsisse, sed ut locos apud rhetores communes eosdem ultro et Ammianum et Herodianum admisisse arbitror, id quod etiam loco de legationibus supra allato statuimus. cum panegyricorum studio magis quam veritatis cura haec omnia formata sunt. de studio panegyrico Ammiani Marcellini cfr. Wilhelm A. Baehrens, BursJber. 203 (1925), p. 84 sq. ceterum aliis locis Herodianum ab Ammiano adhibitum esse certe constat.

errore pro Gai[1]) Claudii nomen posuit (cfr. W. Foerster, De Rufi Breviario eiusque codicibus, Freibg. 1872, p. 14). cum vero Syncellus easdem res eodem vitio contaminatas eodemque fere ordine compositas atque Festus referat, ex Eusebio Syncelli textum fluxisse vix putaverim, sed potius aliquo modo ex Festo. an fons Syncelli Panodorus (ca. 395—400) Festum excerpsit, nomine regis Indorum aliunde sumpto?[2]) Hieronymum utique ex Eutropio hausisse puto.

APPENDIX IV

NUM –́ ⏑ ⏑̀ –́ ⏑ –̀ CLAUSULAM PRAEBEAT

Supra in p. 23 et p. 24 adn. 1 capitum Festi quorundam clausulas et distinctiones investigavi. pauca de distinctionis ratione addantur et quid de clausula – ⏑ ⏑ – ⏑ –, cum loco quodam in suspicionem vocata sit, iudicem exponam.

Vocativus nusquam interspirationes praebet, id quod in cap. 30 (supra p. 23) verborum transgressione *tua princeps invicte facta* aperte indicatur. idem de vocativo statuit Eduardus Norden, Aen. Buch VI, Berlin 1926, p. 386; cfr. Robertus Kauer, Zu Terenz, Wien. St. 22 (1901) p. 67 sqq. praeterea sententia relativa cum clausula antecedat, in extremo numerum uno in exemplo non habere videtur. c. 10 . . *qui auctores sceptris tuís paraverint éxplicabo.* – ⏑ – ⏑ – // –́ ⏑ – ⏑ cfr. Ziegler praef. Firmici p. XV v. 23; eadem ratione relativa sententia dochmio concluditur c. 10 *quod in isdem propágandis habes* – – – ⏑ –[3]); sed aliter res se habet c. 1 *ac morem secutus cálculonum* (–́ ⏑ – ⏑) *qui ingentes summas brevióribus exprimunt* – ⏑ ⏑ – ⏑ – *res gestas signábo non eloquar* –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀.

At Guilelmus A. Baehrens (Panegyricorum Lat. editionis novae praefatio maior, Diss. Groningen 1910, p. 41) apud Plinium Panegyricosque clausulam –́ ⏑ ⏑̀ –́ ⏑ –̀ se invenisse contendit: Plin. Pan. c. 11, 5 *legesque ut ácciperent dabant;* c. 32, 3 *ad omnes omniúm bona pertinent;* c. 44, 5 *aetatem ín tenebris agit* (an –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀?); c. 55, 1 *ore oculís animo sedet;* ep. IV 19, 3 *avidissimis aúribus excipit.* apud ceteros panegyricos praeterea novem exempla inveniuntur, ex quibus quattuor in panegyrico illo duodecimo exstant, quem postea adiunctum etiam genere sermonis a ceteris differre constat. sed haec series syllabarum clausulamne effecerit dubito. nam inter exempla a Guilelmo Baehrens allata haec clausula quater dativo vel ablativo pluralis declinationis tertiae formatur: Plin. ep. IV 19, 3 (vid. supra); Paneg. VII 8, 4 *barbaris géntibus intulit;*

1) De rebus gestis Gai cfr. V. Gardthausen, Augustus u. seine Zeit I[3], Leipzig 1904, p. 1143.

2) Ceterum alio loco etiam Cedreni historiarum compendium cum verbis Festi mirum in modum congruit: p. 58 adn. 1. de fontibus Syncelli nihil certi dici potest; praeter Graecos fontes Latinos adhibitos esse censuit E. Groag, PW V 1350.

3) Cfr. Cic. or 64, 218 *amicos tenes* ⏑ – – ⏑ – dochmii exemplum eadem verbi forma effectum.

XII 23, 4 *mórtibus offerant;* IV 5, 1 *contendéntibus evenit,* et haec exstant media in sententia in fine relativae; quae cum ita sint, hanc seriem syllabarum forte effectam esse conici potest. nam natura linguae Latinae efficitur, ut saepius dativi ablativique propius ad verbum in fine sententiae positum accedant (cfr. Kühner-Stegmann, Gramm. der lat. Sprache (1914), II 2 p. 590 no. 3). gravioris momenti est, quod haec clausula ter media in sententia in fine relativae occurrit: IV 5, 1 (vid. supra); VI 10, 2 *pacém violaverant;* XII 15, 1 *sóllicitaverat;* semel in fine sententiae interrogativae (cfr. A. Klotz, BphW. 49 [1929], c. 747, 13: Auch in der rhythmischen Prosa scheinen die Fragesätze insofern eine besondere Stellung einzunehmen, als sie oft nicht die üblichen Klauselformen aufweisen) XII 15, 2 *vulnera illí sua venderet.* etiam apud Valerium Maximum[1]) (circ. a. p. C. 31) hanc seriem in fine sententiae relativae occurrere video: I 5, 6 (23, 24 Kempff) *quem ex diro ómine ceperat;* IX 3, 5 (436, 17) in fine sententiae temporalis: *cuius pater dum pro senatus amplitúdine nititur* –́ ⏑ ⏑̀ –́ ⏑ ⏑̀ *commoda plebis acerrime inpugnaverat, . .;* IX 11, 25 (454, 26) *centuriónibus edidit qui eum persecuti sunt* omnino non distinctio exstare videtur („lieferte den verfolgenden Zenturionen aus"). alibi vero haec series apud Valerium Maximum etiam in fine totius sententiae invenitur. in Arnobii[2]) libris adv. nat. (circ. a. 305) semel in fine relativae II 11 (p. 55, 24 Reiff.), semel in fine temporalis sententiae occurrit: V 39 (209, 5) . . . *in filiae conquisítione Ceres* –́ ⏑ ⏓ ⏑́⏑ – *fessa oras ut vénit ad Atticas, triticea áttulit fruges* –́ ⏑ ⏓ –́ – ; cum vero etiam supra in Festi textu haec series syllabarum in fine relativae sententiae exstet, numerum non praebere putaverim. accedit quod Robertus Kauer l. c. p. 71 Iovialem in Terenti codicibus distinctiones ante sententias relativas, ubi sensu postulantur, posuisse dicit, sed in fine eorum distinctum esse silet. Heaut. 21 *licere id facere, quod illi fecerunt putat,* cum ante *quod* verbum distinctum sit, deest interpunctio post *fecerunt.* graviter doleo, quod Kauerus plura quibus uti liceat exempla non affert.[3])

---

1) V. Münch, De clausulis a Valerio Maximo adhibitis, Breslau 1909.

2) Th. Lorenz, De clausulis Arnobianis, Breslau 1910.

3) Cicero in oratore 63, 214 ex oratione Carbonis haec verba pro ambitu refert: *quicumque eam violavissent ab omnibus esse ei poenas persolutas* scil. dicere solebas. adnotavit W. Kroll in comment. (Berlin 1913): „(Cicero) hätte . . mindestens auch den Schluß des Relativsatzes rhythmisch messen müssen." minime debebat.

ARGUMENTI DISPOSITIO

VITA

Natus sum anno MCMVII kal. Mart. in Hasso-Nassoviae oppido, quod Eschwege appellatur, patre Guilelmo, qui nunc est pro praeside collegii quod toti Borussiae Orientalis rei scholasticae praepositum est, matre Tilly e gente Kühne. fidei addictus sum evangelicae. anno MCMVIII parentes Bonnam transmigraverunt, quo in oppido scholam, cui nomen est Städtisches Gymnasium und Realgymnasium, frequentavi ab anno MCMXIII usque ad annum MCMXIX. tum Hagen, in urbe Guestphaliae, eiusdem generis scholam adii usque ad annum MCMXXI. quo anno Potsdupinum perveni et in gymnasio e regina Victoria appellato anni MCMXXV vere maturitatis testimonio instructus sum. statim civibus academicis in alma litterarum Universitate Berolinensi adscriptus sum neque alio me inter studia contuli.

Imprimis Graecorum et Romanorum linguis atque litteris et archaeologiae operam dedi. praeterea per unum semestre rebus mathematicis, per duo semestria zoologiae studui. per tria semestria in rebus gymnasticis versatus anno MCMXXVII magister rerum gymnasticarum probatus sum.

Docuerunt me Deubner, Dornseiff, Friedenthal, Guardini, Werner Jaeger, Klingner, Wolfgang Köhler, Kurt Lewin, Paul Maas, Ferdinand Noack†, Eduard Norden, Rieffert, Rodenwaldt, Arthur Rosenberg, Wilhelm Schulze, Spranger, Vierkandt, v. Wilamowitz-Moellendorff† — mathematicus Erhard Schmidt — zoologi Deegener, Max Hartmann, Hesse.

Sodalis fui Proseminarii Philologi inf. ord. per unum semestre, sup. ord. per duo. Seminarium Philologum virorum doct. L. Deubner, W. Jaeger, E. Norden per tria semestria, Seminarium Archaeologum Ferdinandi Noack per duo semestria frequentavi. per unum semestre interfui Seminario Paedagogico Eduardi Spranger. anno MCMXXIX effodendi artis primitiis me instruxerunt G. Bersu et R. Egger in vico Austriae, cui nomen Feistritz/Drau. his omnibus gratias ago maximas.

Königsberg i. Pr.
Nachtigallensteig 25 II.

Werner Hartke.